MASTER NEGATIVE NO. 92-80541-12

AUTHOR:

LANGE, AUGUST R.

TITLE:

DE SUBSTANTIVIS FEMININIS GRAECIS...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1885

Master Negative #

92-80541-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887.5
Z8
v.10

Lange, August Robert, 1859-
De substantivis femininis Graecis secundae declinationis capita tria. Dissertatio...quam...scripsit Augustus Robertus Lange... Lipsiae, typis J. B. Hirschfeldi, 1885.
76 p. 21 cm.

Thesis, Leipzig.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-7-92 INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

SUBSTANTIVIS FEMININIS GRAECIS

SECUNDAE DECLINATIONIS

CAPITA TRIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AUGUSTUS ROBERTUS LANGE

TAUCHENSIS.

LIPSIAE

TYPIS J. B. HIRSCHFELDI.

MDCCCLXXXV.

CAROLO BRUGMANNO

SACRUM.

INDEX.

PRAEMONENDA.

Primordia studiorum grammaticorum apud Graecos constat profecta esse a sophistis, quorum praeceptis et artis vocabulis a Romanis in linguam Latinam translatis etiam nos utimur. Inter sophistas Protagoram imprimis arti grammaticae operam dedisse et, cum alii, natura an conventione lingua hominum esset, quaererent, linguam a maioribus traditam quasi disposuisse et constituisse, de usu linguae praecepta proposuisse accepimus. Quibus de studiis grammaticis Protagorae, quod nihil fere memoriae traditum est, dolemus. Aristoteles in rhet. III, 5 (p. 1407) narrat Protagoram primum tria genera nominum distinxisse: *ὡς Πρωταγόρας τὰ γένη τῶν ὀνομάτων διῄρει, ἄρρενα καὶ θήλεα καὶ σκεύη· δεῖ γὰρ ἀποδιδόναι καὶ ταῦτα ὀρθῶς.* Quod quomodo factum sit, nescio an ex iis intellegatur, quae Aristophanes in Nubibus Socratem dicentem faciat, in qua fabula scimus multa, quae dicat Socrates, cum ad sophistas complures tum ad Protagoram spectare. Cum enim Strepsiades (v. 669) dixerit: *διαλφιτώσω σου κύκλῳ τὴν κάρδοπον* a Socrate vituperatur: *τὴν κάρδοπον ἄρρενα καλεῖς θήλειαν οὖσαν*, et cum Strepsiades quaesiverit *ἀτὰρ τὸ λοιπὸν πῶς με χρὴ καλεῖν;* Socrates respondet *ὅπως; τὴν καρδόπην, ὥσπερ καλεῖς τὴν Σωστράτην.* Rerum igitur nomina ad normam personarum redigere vult, quae in *-ος* desinentia masculina sunt. Alias ex articulo patet Strepsiadem feminino genere dixisse hanc vocem. Quam normam repetit Strepsiades v. 1251, ubi negat se soluturum Pasiae debitum, quia et ille indocte dixerit *ἡ κάρδοπος* pro *καρδόπη*. Id nescio an ex his Aristo-

phanis verbis conici possit Protagoram censuisse nominibus primae declinationis genus femininum, secundae declinationis masculinum et neutrum genus tribuendum esse. Ut vero hunc poetae comici locum tanti habeamus ea re commovemur, quod etiam aliunde cognoscere possumus Graecis quasi insitum fuisse nomina primae et secundae declinationis ita genere inter se distingui. Quod si quis eam sententiam unius vel paucorum quamvis doctorum virorum multum valere neget, ex usu optimorum scriptorum argumentum magnum proferemus. Wirthius enim (de motione adiect. quae in *-ιος, -αιος, -ειος, -ιμος* termin. diss. Lips. 1880 p. 6) demonstrat non componi formas communes cum substantivis femininis in *-ος* terminatis. Quod quare fiat, facile intellegitur. Cum enim terminatio *-ος* propria sit substantivorum masculini generis neque eiusmodi substantivorum genus femininum significari possit, nisi articulo vel attributo aliquo addito, necessario his propriae terminationes femininae debentur, ut vitetur ambiguitas, quae a melioris certe aetatis scriptoribus tolerata esse non videtur, praesertim absente articulo. Itaque opus videtur fuisse genus grammaticum forma ipsa significari. Cum autem multa nomina secundae declinationis, qua primitus masculina tantum continebantur, feminina facta essent neque facile id cognosci posset, si articulus aberat, adiectiva addita, etiamsi alibi minus mobilia solebant esse, tamen terminationem femininam acceperunt, quod non tam consentaneum esset, si illa nomina in *-ος* inde a priscis temporibus feminini fuissent generis. His adiungi potest testimonium grammaticorum, ex quo intellegimus apud Graecos omnino fuisse normam *-α, -η* femininam positionem esse, *-ος* masculinam, et cum substantiva in *-ος* feminine dicerentur, id praeter leges fieri. Itaque ubi distinguunt inter *θηλυκόν* et *ἀρσενικόν*, saepe terminationem non perhibent, velut si constet *-ος* attribuendum esse generi masculino, *-η, -α* feminino. Grammaticus enim in Bachm. anecd. I, 154 *ἀστραγάλους δὲ οἱ Ἀττικοί· τὸ γὰρ θηλυκὸν* (scil. *ἀστραγάλας*, non *τὰς ἀστραγάλους*) *Ἰακόν· καὶ παρ᾽ Ὁμήρῳ τινὲς θηλυκῶς*. Moeris: *ψύλλα θηλυκῶς Ἀττικῶς, ἀρσενικῶς Ἕλληνες*; cf. Phot. s. v. *ψύλλα*.

Ubi autem grammatici nomina in *-ος* desinentia partim masculine partim feminine usurpari tradunt, plerumque copiosius exponunt, ut in Bachm. anecd. I, 146 *ἄῤῥιχοι, οὓς ἀρσίκους οἱ Ἴωνες, θηλυκῶς δὲ οἱ Ἀττικοὶ τὰς ἀῤῥίχους φασίν*. Quod ea re commoti facere mihi videntur, ne e vocabulo *θηλυκῶς* error evadat Atticos dixisse *τὰς ἀῤῥίχας*. Bekk. anecd. 450, 32 *ἄσβολος θηλυκῶς ἡ ἄσβολος· οὐ γὰρ ἀρσενικῶς ὁ ἄσβολος*. Talia exempla facile multa afferri possunt.

Feminina vero secundae declinationis, quae sunt in lingua Graeca, non esse a priscis temporibus servata ut censeamus, magis etiam commovemur, cum ceteras linguas Indogermanicas spectamus. Lingua enim Sanscrita in ea quam primam solemus dicere declinatione nomina feminini generis tantum complectitur, in secunda declinatione masculina et neutra. Illis constat in lingua Graeca et Latina respondere quae terminantur in *α, η, a*, his, quae sunt in *-ος, -us*. Neque vero eundem habemus generum consensum in his linguis atque in lingua Indorum. In prima enim declinatione linguae Graeca et Latina exhibent multa nomina masculina, in secunda sunt pauca substantiva Latina, permulta Graeca generis feminini. In linguis Slavicis desunt feminina secundae declinationis, neque vero masculina primae declinationis. In linguis Germanicis et Celticis pristinus quem diximus status servatus est.

Illo quod supra commemoravimus discrimine commoti I. Schmidtius (vide Osth. verb. i. d. nominalcomposition p. 263) et Brugmannus (Liter. Centralbl. 1878 p. 983) censuerunt in lingua Graeca et Latina illud discrimen non ab antiquissimis temporibus servatum immo vero postea exortum esse, quam sententiam Delbrueckius (synt. forsch. IV, 5 sq.) secutus est. Nec desunt argumenta, quibus ea commutatio generis confirmari possit. Genera enim nominum omnino non tam firma esse, ut semper maneant, idem Brugmannus in Fleckeis. annal. 1880 p. 659 sq. docuit, de qua re infra disputandum erit.

CAPUT PRIMUM.

De mutato genere grammatico in universum disputatur.

In ea sententia perseverandum videtur esse, iam priscis temporibus, priusquam singulae linguae Indogermanicae seiungerentur, fuisse quaedam suffixa, quibus genus vocis designaretur, eumque statum omnino servatum esse. Itaque substantiva suffixi *-es-* ope formata neutrius generis fuerunt, masculini ea, quorum suffixum *-o-* erat, feminini ea, quorum suffixum *-ā-* erat. Priscum statum in lingua Graeca et Latina mutatum esse in nominibus primae et secundae declinationis iam supra diximus.

Atque genus quidem nominum non tam immutabile et fixum esse iam dudum viri docti cognoverunt. Optima enim testis est lingua Germanica, in qua adeo genus multorum nominum mutatum esse cognoscimus, ut quae antea masculina erant nunc feminina sint, nomina feminina nunc genus masculinum acceperint, neutra nunc in genere masculino ponantur (cf. Grimm. gr. Germ. III, 549 sq. Miklos. gr. Slav. IV, 24). Permulta exempla exhibentur in lingua Francogallica, de quibus vide Diez. gr. Rom. II, 15. Quomodo et qua de causa talis mutatio generum fiat, Brugmannus docet in Fleckeis. ann. 1880 p. 659 sq. et in Kuhnii comm. XXIV, 34 sq. Genus enim nominum dicit immutari vel ex forma ipsius vocis, vel ex significatione, illam nominat ʻdie aeussere sprachformʼ, hanc ʻdie innere sprachformʼ. Atque forma ipsa vocis causa videtur fuisse generis mutati in nonnullis substantivis, quae sunt in *-ος*. Veteres enim dicebant *ὁ* et *τὸ σκότος, θάμβος, τάριχος, σμέρδος, ὄχος*. In radice nominum neutrius generis, quae terminantur in *-ος*, solet adhiberi *ε* vocalis (*γένος, βέλος*), in radice nominum secundae declinationis, ab eadem stirpe formatorum, saepe invenitur *ο* vocalis (*γόνος, -βολος*). Itaque licet conicere proprie distinctum fuisse inter *ὁ ὄχος* et *τὸ ἔχος*, cuius formae Hesychius testis est: *ἔχεσφι*. Postea etiam *τὸ ὄχος* usu receptum est, cum formae nominativi pares essent.

In ceteris exemplis, utrum neutrum an masculinum prius [1]) fuerit pro certo dici non potest, neque tamen negari potest hic formam ipsam causam fuisse generis mutati. Brugmannus affert aliud exemplum *κάρη*, quod apud Homerum *τὸ κάρᾱ* dicitur. *κάρᾱ* redit ad formam **κάρασ-ᾰ*, quae eiusdem originis est atque *ἄλειφ-α* et alia. Cum *σ* littera elisa et contractis vocalibus eandem praeberet speciem *κάρᾱ* vox, quam *χώρᾱ*, in eam analogiam transiit: Callim. frg. 125 *τὴν κάρην*, Mosch. IV, 74 *κάρης*, Anacr. frg. 50, 9 *κάραν* cf. Nicand. ther. 131. Quint. Smyrn. XI, 58. Nonnunquam autem, ut apud Pindarum et poetas Atticos pristinus usus servatus est.

Saepius, quam forma ipsa, notio vocis causa videtur fuisse, cur genus novaretur, eamque causam supponunt viri docti in substantivis secundae declinationis.

Atque duo potissimum respicienda sunt, primum quod nominis genus grammaticum mutatur ex voce eiusdem notionis saepissime adhibita, deinde quod genus speciei se accommodat ad genus eius nominis, cuius magis generalis est notio. Itaque fortasse *ὁ οἶμος* femininum genus recepit per analogiam *ἡ ὁδός* usitatissimae vocis, et licet suspicari ad hunc usum valuisse substantivum primae declinationis, *οἴμη*, vel aliud quod nobis non traditum est. Semel apud Theocritum (XV, 85) secundum optimos libros *ὁ κλισμός* feminine adhibetur, ubi fortasse genus vocis *ἡ κλίνη* alicuius momenti fuit. Secundum eam vocem, cuius significatio magis generalis est, nomen speciei mutato genere dici multis exemplis potest demonstrari. Itaque secundum *ἡ πόλις* vocem genus femininum acceperunt *ἡ Κόρινθος, ἡ Μίλητος*, secundum *ἡ χώρα* nomen *ἡ Αἴγυπτος* [2]) et alia. Eundem in modum latine dicitur haec Eunuchus de

---

1) Schol. *Δ* 79 *τὸ θάμβος δὲ οὐδετέρως παρ' Ὁμήρῳ, Σιμωνίδης δὲ ἀρσενικῶς*. Qua cum re comparari potest, quod Scholvinus e linguis Slavicis profert (Arch. f. slav. Philol. II, 534), ubi *slovo* (cf. **κλέϝος*), quod proprie *slovese* (**κλέϝεσος*) genitivum habet, per analogiam *slova* secundum *děla* praebet et alia.

2) *ὁ Αἴγυπτος* aut Nilum fluvium aut Beli filium significat. Vide Ameis. ad § 257.

fabula, haec Centaurus de nave [1]). Donatus enim 2, 4, 1 p. 1747 Eunuchus comoedia, Orestes tragoedia, Centaurus navis sunt sono masculina intellectu feminina. cf. Serv. ad Verg. Aen. V, 122. Quam facile talis mutatio fieri potuerit intellegimus ex ea, quam *γένους ἐναλλαγήν* vel *σχῆμα πρὸς τὸ συνώνυμον* nominamus figura (cf. Kuehner. gr. Gr. II² p. 51 sq.). Thuc. II, 47 *ἡ νόσος πρῶτον ἤρξατο . . . λεγόμενον.* schol. *θηλυκῶς ἡ νόσος· τὸ δὲ λεγόμενον πρὸς τὸ νόσημα ὑπήντησεν* et schol. Thuc. I, 122 *εἴωθεν ὁ συγγραφεὺς ἀπὸ τῶν θηλυκῶν μεταβαίνειν εἰς τὸ οὐδέτερον.* *Λ* 238 *ἐτράπετ' αἰχμή· καὶ τό γε χειρὶ λαβών.* cf. *μ* 75. Videmus igitur in nomine adiectivo vel pronomine generis eius substantivi, quo illud pertinet, non esse rationem habitam, sed generis synonymi cuiusdam, quod loquenti in animo erat. Atque recte Nitzschius ad *μ* 75 admonet huic figurae simillimum esse *σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον.* *λ* 90 *ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Θηβαίου Τειρεσίαο, χρύσεον σκῆπτρον ἔχων.* Sed distinguendum est, utrum adiectivum appositive vel anaphorice an attributive vel praedicative cum nomine coniungatur. Appositio enim saepe liberius cum nomine cohaeret, ut casus congruat, genus et numerus discrepent.

Maximi vero ponderis ad genus nominum in *-ος* mutandum fuerunt adiectiva minus mobilia, quae substantivorum loco usurpabantur. Cum enim plurima adiectiva trium essent positionum, nunquam defuerunt, quae genus masculinum et femininum eadem significarent forma, quare facile fieri potuit, ut nomina in *-ος* feminina exsisterent. Hunc in modum *ἡ διάλεκτος* scil. *γλῶσσα*, *ἡ ἔρημος* scil. *χώρα* et multa alia intellegenda sunt. Quin etiam non pauca nomina huius originis postea vim adiectivi amiserunt et substantivi loco tantum adhibita sunt.

Iam vero veniamus ad cetera exempla generis mutati. Sunt enim permulta substantiva secundae declinationis, quibus

1) Neque tamen negari potest raro nomina fabularum et navium in eo genere dici, quod forma vocis postulet. Iuv. I, 6 finitus Orestes de tragoedia, Sil. XIV, 572. 578 undivagus Python, Triton captivus de navibus dicta sunt.

significantur masculi, quae non mutata terminatione ad feminas transferuntur. Saepissime hoc fit apud poetas tragicos et comicos, quae exempla enumerare longum est. Sufficiat igitur hoc loco singula afferre: *ἡ τύραννος* Eurip. Med. 1356, *ἡ ἄγγελος* apud Homerum saepenumero, *ἡ χοραγός* Arist. Lys. 1314, *ἡ στρατηγός* Ar. eccl. 491. 500. 727, *τὰν φόνον* de Medea Pind. pyth. IV, 250 [1]). Neque tamen haec et alia exempla tam magni momenti sunt, cum licentia quadam poetica non ex sermone populi orta sint. Recte enim Pollux IV, 19 *Ἀριστοφάνης δὲ παίζει ἐν Θεσμοφ.* (432) *λέγων ἡ γραμματεύς.* Ut talia exempla apud Aristophanem comica et faceta sunt, ita alibi in serio etiam, immo tragico sermone substantiva masculina tribuuntur feminis. Itaque haec, quam liber fuerit usus poetarum nos docent, nihil prosunt ut vulgarem linguae usum cognoscamus. Sane quidem multa eiusmodi substantiva reliqua sunt, quae non solum a poetis adhibentur, sed ea praeter *θεός* nomen omnia composita sunt.

Praeterea non desunt singula exempla. Pottius enim nisi fallor primus (in Ersch. et Grub. encycl. s. v. geschlecht p. 402) suspicatus est *ἡ νυός* vocem, quae iam dudum recte comparata est cum voce Latina nurus, kslav. *snŭcha*, sskr. *snushā-*, dissimulatione quadam exortam esse e forma **νυύς*, **σνυσύς*. Idem sentit Osthoffius in quaestt. morph. IV p. 186, qui compluribus exemplis demonstrat in lingua Graeca *-ιυ-*, *-υυ-* spirante inter has vocales exstincta, mutatum esse in *-ιο-*, *-υο-*. Itaque *ἡ νυός* casu eam formam accepit et genus servavit, cum terminatio novaretur. Fortasse talia exempla, ubi feminina in *-ος* desinentia litteris mutatis exsistebant, plura etiam invenientur.

Iam paucis explicemus, quomodo in lingua Latina res se habeat (cf. Neue formenl. p. 676 sq. 614 sq. Kuehner. gr. Lat. I, 164. 299 sq.). Ut hoc loco omittamus, quae infra in singulis

1) Huic usui conferri potest e poetis Germanicis, quod Schillerus Mar. Stuart III, 4 Mariam dicentem facit: *denn ich bin euer König*, et Laubius Essex III, 7: *Elisabeth von Tudor, Englands König.*

capitibus de arboribus, lapidibus, urbibus explicabuntur, afferenda sunt haec nomina: *alvus*, *colus*, *domus* (quod nescio an melius quartae ascribatur declinationi), *humus*, *vannus*; praeterea quae hausta sunt e lingua Graeca: *arctos*, *periodus*, *pharus*, *phaselus*, *plinthus*; ea adiectiva, quae vim substantivi acceperunt: *antidotus*, *apostrophus*, *atomus*, *cathetus*, *dialectus*, *diphthongus*, *eremos*; aetatis recentioris sunt: *abyssus*, *exodus*, *methodus*, *synodus*, *miltus* (Ter. Maur. 225). Quod si praeterimus, quae originis Graecae sunt, manent nobis quattuor nomina secundae declinationis, quibus genus femininum additur. Uno loco (Apul. Met. 7, 28 p. 502) *fimus* (et *barbitus* Ps. Ov. Her. XV, 8) feminine dicitur, alibi masculine. Atque vero ne haec quattuor quidem nomina semper in genere feminino ponuntur, quin etiam proprie ea masculina fuisse habemus, quod censeamus. *Alvus* enim vocem in vetustiore lingua masculine dictam esse testantur Serv. ad Verg. Aen. II, 50 e Plauti Pseud. 823, Prisc. 6, 16, 84 p. 718 e Catone, Attio, Helvio Cinna, Charis. 1, 15 p. 61 e Calvo et Helvio Cinna, Non. p. 193; de *humus* voce veteres haesitasse docet Prisc. 5, 8, 42 p. 658 hic et haec humus, et quos affert locos 6, 16, 85 p. 718 humum humidum, ubi falso Priscianus genus neutrum adhiberi putat. Recentioris aetatis est parvo humo ap. Apul. Met. 1, 13 p. 48. *Colus* solet feminine dici, masculinum genus invenitur Catull. 64, 311. Tibull. 13, 86 sec. cod. Par. Prop. 5 (4), 1, 72. 9, 48; *vannus* vox omnibus locis in genere feminino ponitur; *phaselus*, quod nomen in lingua Graeca nisi de faba non usurpatur, apud Romanos etiam navigii genus significat, ubi utrumque genus locum habet. In Catulli carmine quarto semper masculine enuntiatur. *Caminus* apud Graecos plerumque in genere feminino dicitur, apud Cic. fam. 7, 10, 2, Ovid. met. 7, 106 masculini generis est, et quod Caper de verb. dub. p. 2248 praecepit, ut genus femininum adhiberetur, nescio an linguae Graecae usu commotus id fecerit.

In lingua igitur Latina genus nominum in *-us* desinentium raro immutatum esse videmus. Iam vero redeamus ad linguam Graecam. Ibi cum ex antiquissimis temporibus tra-

dita essent nomina in *-ος* feminini generis, tum paullatim alia nomina genus femininum acceperint. Praeterea iam priscis temporibus in singulis dialectis, apud singulos scriptores, quin etiam apud eundem scriptorem aut magna inconstantia erat, utrum genus praeferendum esset, aut utrumque genus promiscue adhibebatur. Denique non parvi momenti videtur esse, quod in medio aevo usque ad nostra tempora in lingua Graeca omnia substantiva feminini generis, quae erant in *-ος*, aut genus mutaverunt, aut terminationem, ut hodie secunda declinatio Graeca masculina tantum et neutra contineat, et quasi pristinus status restitutus sit. Hatzidakis enim in Kuhnii comment. XXVII, 82 explicat:

1. Multa feminina in *-ος* masculina facta sunt: *ὁ πρῖνος, ὁ πλάτανος, ὁ κυπάρισσος*, pelop. et cypr. *ὁ ἄμμος*. Quae fuerunt communia *ὁ ἡ ἄνθρωπος, ὁ ἡ ἄγγελος*, nunc non iam in utroque genere ponuntur. Inde ab decimo tertio saeculo *ὁ ἄνθρωπος καὶ ἡ συμβία* discernuntur, antea *ὁ ἡ σύμβιος* dicebatur, cf. CIG. 8697. 9557 etc. *ἡ συμβία* CIG. 8769 (saeculi XIV). 9297 (etiam recentioris aetatis).

2. Alia nomina ad neutrum genus transierunt: *τὸ βάσανο, τὸ βάρσαμα, τὸ δρόσος, τὸ ψῆφος*. His exemplis probatur, quod de formis *ὁ τὸ θάμβος, σκότος* supra diximus, formam ipsam causam fuisse generis mutandi.

3. Alia substantiva deminutiva facta sunt: *τὸ ἀμπέλι, τὸ καμήλι, τὸ νησί, τὸ ὑαλί, τὸ ῥαβδί, τὸ σταμνί.*

4. Alia novis syllabis aucta sunt: *ἡ ἀγγέλισσα, ἡ δασκάλισσα, ἡ δροσιά, ἡ κοπριά* (cf. Simon. Am. VII, 6 *ἐν κοπρίησιν*), *ἡ πλατανιά.*

5. Multa in analogiam primae declinationis transierunt: *ἡ παρθένα, ἡ πλατάνη, ἡ ἀρίγανη, ἡ καμήλα, ἡ νόστιμη*. In hoc ordine sunt omnia adiectiva, quae prius minus mobilia erant.

6. Alia analogiae tertiae declinationis ascripta videntur esse, praecipue nomina urbium et insularum: *ἡ Κόρθω, ἡ Σάμω, ἡ παράδεισω, ἡ ἄμμω.*

Cuius mutationis prima vestigia iam prioribus temporibus nescio an inveniantur. Ea enim causa esse mihi videtur, quod

veteres haesitant inter ὁ et ἡ πρῖνος, κυπάρισσος alia. Verisimile enim est primitus his nominibus genus masculinum attributum fuisse (ὁ πρῖνος Ar. ran. 858 [894], Amphis ap. Ath. II, 50 F., schol. ε 64); deinde cum plerumque arbores et plantae feminine dicerentur, etiam ἡ πρῖνος, ἡ κυπάρισσος usu receptum est, neque vero prorsus genus masculinum evanuit; postremo, cum omnia feminina in *-ος* obsolescerent, ὁ πρῖνος, ὁ κυπάρισσος rursus valuit. Atque etiam novas conformationes iam priscis temporibus invenimus: ἡ σπάρτος, ἡ σπάρτη; ἡ μίνθος, ἡ μίνθα, μίνθη; ἡ κλῆθρος, ἡ κλήθρα; ὁ, ἡ κέγχρος, ἡ κέγχρα; ἡ ἔβενος, ἡ ἐβένη; ἡ σύγγραφος, ἡ συγγραφή, alia.

Quanquam in turba biformium nominum duo discernenda sunt genera, alterum, quod cum terminatione intellectum commutat (ὁ, ἡ οἶμος, ἡ οἴμη), alterum quod terminationem tantum variat (ἡ ψάμμος, ἡ ψάμμη primo ab Herodoto IV, 181 usurpatur, qui alibi ἡ ψάμμος dicit, ἡ ἄσβολος et ἡ ἀσβόλη [Simon. Am. VII, 61]). Ea quoque nomina, quae principio diverso intellectu adhibebantur, postea eadem significatione saepenumero dicuntur: ἡ σποδός, ἡ σποδιά (Sim. Am. VII, 43. Erinna V, 26 σποδία). Permulta autem, ut ἡ κλῆθρος, κλήθρα, ἡ μίνθος, μίνθη, sine ullo notionis discrimine promiscue usurpantur.

De nonnullis nominibus (ψάμμος, ψάμμη) scimus utra forma vetustior sit, de plurimis nihil scimus, ubi haec nescio an conici possint: aut si ἡ κλήθρα forma prior est, κλῆθρος vox secundum illam genus femininum accepit, aut, si ἡ κλῆθρος prior forma est, ἡ κλήθρα vox orta est, ut genus femininum, quod plerumque arboribus attribueretur, vel ex forma ipsa cognosceretur.

Dialectorum vero quoddam discrimen nonnunquam subesse grammatici nobis tradiderunt. Bachm. anecd. I, 154 ἀστραγάλους δὲ οἱ Ἀττικοί· τὸ γὰρ θηλυκὸν (scil. ἀστραγάλη) Ἰακόν· καὶ παρ' Ὁμήρῳ τινὲς θηλυκῶς. schol. Soph. Ai. 727 πέτρα κοινόν· πέτρος Ἀττικόν. Moschop. s. v. πέτρος παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἡ πέτρα. Phryn. p. 113 ἀσβόλη μὴ λέγε, ἀλλὰ ἄσβολος, cf. Moer. p. 11, Rutherford New Phryn. p. 197.

Unum vero nomen aliter adhiberi tradunt. Moer. ψύλλα θηλυκῶς Ἀττικῶς, ἀρσενικῶς Ἕλληνες; schol. Ar. Plut. 538 οἱ δὲ Δωριεῖς ἀρσενικῶς τὸν ψύλλον, cf. Phryn. ecl. p. 146.

Praeterea e Cypri dialecto M. Schmidtius in Kuhnii comm. IX, 368 nonnullorum nominum genus cum terminatione mutari profert: μύθα· φωνή (cf. μῦθος), βάλλαι· βαθμοί (cf. βηλοί), κιμαί· χυμοί (cf. κιμοί).

Denique ea nomina afferenda sunt, quae genus mutant cum notione, forma ipsa non mutata. Nomina appellativa ad urbes translata genus femininum loco masculini saepenumero accipere infra copiosius explicabitur. Atque etiam quae plantas significant, genus femininum praeferunt, cum de aliis rebus masculine enuntientur: ὁ κύανος (chalybs), ἡ κύανος (flos quidam). Praeterea singula nomina in utroque genere diverse usurpantur: ἡ λέκιθος, ovi luteum, Arist. h. a. 6, 3. Diosc. II, 54. Suid. s. νεοττός, ὁ λέκιθος pisum Arist. Lys. 562. schol. Ar. plut. 427. Suid. s. λέκιθος; ἡ θόλος de aedificio, ὁ θόλος de luto dicitur; ἡ γέρανος grus, ὁ γέρανος θαλάττιος piscis maritimus; ὁ ῥοῦς de fluxu, ὁ ἡ ῥοῦς de morbo et arbore adhibetur. Cetera postea afferentur. In his quoque vocibus licet conicere genus masculinum prius fuisse, deinde ut diversae res distinguerentur genus mutatum esse in ea notione, ubi analogia (πόλις, δρῦς) id postulari videretur.

CAPUT SECUNDUM.

De dialectorum et temporum diversitate generis.

Proximum est, ut ex tanta mole conferamus, quae ad diversitatem dialectorum, singulorum scriptorum, temporum pertineant. Qua in re saepius iudicium difficile est, cum testimonia et subsidia nobis non sufficiant. Grammaticis enim, quanquam permulta nobis tradiderunt de diverso usu dialectorum, tamen non semper fides habenda est, cum et inter se discrepent et ex singulis locis regulas ipsi sibi composuerint. Qui cum aliquid huic vel illi dialecto attribuerent, sermonem

Atticum esse censuerunt, quae apud poetas veteris comoediae, apud Thucydidem et Demosthenem et ceteros oratores essent, sermonem Doricum ex Archyta, Theocrito, poetis melicis cognosci, Ionismum apud Herodotum et Hippocratem inveniri putabant. Tituli vero, ex quibus dialectos optime cognoscere possumus, paucissima nobis hunc in usum suppeditant, cum multa nomina ex natura rerum nunquam in titulis adhibeantur, quorum res et summa angustis finibus includitur. Qui fit, ut plurima feminina in *-ος* titulis prorsus desint.

Praeterea discrimen temporum in usu horum nominum non facile cognoscitur, cum multa prioribus tantum temporibus, alia recentioribus demum inveniantur, et argumenta ex silentio fieri nequeant.

I. De diversitate generis singularum dialectorum.

1. Atticismo proprium esse genus femininum praeferri masculino traditur.

ἄρριχος. Bachm. anecd. I, 146 (cf. Bekk. an. I, 446) *ἄρριχοι, κόφινοι οἰσύϊνοι, οὓς ἀρσίκους οἱ Ἴωνες, θηλυκῶς δὲ οἱ Ἀττικοὶ τὰς ἀρρίχους φασίν*. cf. Eustath. p. 1163, 49. 1533, 58. Aristoph. schol. av. 1309: *τὰς ἀρρίχους· τὸ χ διὰ τὸ θηλυκῶς εἰπεῖν τὰς ἀρρίχους, ἡ ἀρρίχη*. In uno libro mscr. Aristoph. av. 1309 exhibetur *τὰς ἀρρίχας*.

ἄσβολος. Bekk. anecd. I, 450 *ἄσβολος· θηλυκῶς ἡ ἄσβολος· οὐδὲ γὰρ ἀρσενικῶς ὁ ἄσβολος· Ἀριστοφάνης ἐν Θεσμοφ.* (251) *ἰοῦ τῆς ἀσβόλου*. Bekk. an. I, 17 *θηλυκῶς λέγουσιν. Ἱππῶναξ δ' ἀρσενικῶς· τινὲς δὲ καὶ τὴν ἀσβόλην*, quod vituperat Phryn. 113. cf. Moer. p. 11.

βῶλος. Moer. p. 95 *θηλυκῶς Ἀττικῶς, ἀρσενικῶς Ἑλληνικῶς*. cf. Sext. Emp. adv. math. 1, 148, Phryn. p. 54. Aliter distinguit Thom. M. 52, 10 *βῶλος ἐπὶ θηλυκοῦ εἰ ἐπὶ γῆς λαμβάνεται, ἐπὶ δὲ ἁπλῶς λίθου καὶ ἀρσενικῶς καὶ θηλυκῶς ἐκφέρειν δεῖ.*

στάμνος. Sext. Emp. adv. math. 1, 148 *οἷον Ἀθηναῖοι μὲν τὴν στάμνον λέγουσι θηλυκῶς, Πελοποννήσιοι δὲ τὸν στάμνον*.

Quo cum praecepto non convenire videtur Arist. plut. 545 *στάμνου κατεαγότος*, quod etiam scholiasta notat *τὸ δὲ στάμνου δοκεῖ ἀρσενικῶς εἰρῆσθαι.*

ὕαλος. Thom. M. 365 *ὕαλος Ἀττικοί· Ἀριστοφάνης γὰρ ἐν νεφέλαις* (771) *'τὴν ὕαλον λέγεις'*. schol. Ar. nubes 771 (768) *ὅτι δὲ ὕαλος θηλυκῶς καὶ διὰ τοῦ α διὸ τὸ χ*. cf. Lob. Phryn. 309.

2. Ionismo genus femininum tribuitur.

Eust. 1398, 48 *ὅτι θηλυκῶς λέγεται τὰς κίονας, κατὰ διάλεκτον Ἰωνικήν. ἔστι δὲ τοῦτο καὶ τῶν Ἀττικῶν, μυρία δὲ τοιαῦτά ἐστι παρὰ τοῖς ποιηταῖς. οἳ τὰς βοῦς λέγουσι. καὶ τὰς ἵππους. καὶ τὰς ἡμιόνους. καὶ τὰς ἑλλούς. ἔτι δὲ καὶ ἡ βῶλος. καὶ ἡ ὕαλος. καὶ ἡ στρύχνος. καὶ ἡ ἄσβολος. καὶ ἡ θόλος κτλ.*

ῥοῖζος. Eust. 1631, 2 *ῥοῖζον αὐτόν φησι κατὰ γένος θηλυκὸν Ἰωνικῶς. φησὶ γὰρ 'πολλῇ δὲ ῥοίζῳ'*. schol. *ι* 315 *πολλῇ ῥοίζῳ· Ἰωνικὸν ὥσπερ ἡ ῥοῖζος οὕτω παρά τισι καὶ ἡ λιμός*. Phot. II, 135 *ῥοῖζος παρ' Ὁμήρῳ θηλυκῶς.*

Praeterea nomina bestiarum ab Ionibus saepe in genere feminino posita esse grammatici nobis tradunt, de quo usu infra disputabitur. Eust. 1652, 56 *ἔλαφον μέγαν. ὅρα δὲ ὡς καὶ εἰ καὶ Ἰωνικῶς τὰ πολλὰ κατὰ θῆλυ γένος ἡ ἔλαφος προφέρεται, ἀλλ' ἐνταῦθα ἀρσενικῶς προήνεκται διὰ τὸ μὴ κατ' εἶδος λελέχθαι.* Et. Magn. 437, 32 *ἰστέον δὲ ὅτι οἱ Ἴωνες πάσας τὰς ἀγέλας ἐκθηλύνουσι τῇ προφορᾷ, τὰς ἵππους καὶ τὰς ὄνους καὶ τὰς βοῦς λέγοντες.* Similem in modum etiam in dialecto Attica in singulari numero dicitur *ἡ ἵππος* de equitatu, ubi fortasse *ἡ ἀγέλη* vox alicuius momenti fuit. Ath. IX, 375 C: *χοῖρον δὲ Ἴωνες καλοῦσι τὴν θήλειαν, ὡς Ἱππῶναξ [ἐν] σπονδῇ τε καὶ σπλάγχνοισιν ἀγρίας χοίρου. καὶ Σοφοκλῆς ἐπὶ Ταινάρῳ· χοῖρον ὥς τε δεσμίαν.* cf. Eust. 1752, 26.

3. Dorismo tribuitur genus femininum.

λιμός. Anecd. Ox. II, 235 (Choerobosci orthogr.) *τὸ δὲ λιμός παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις ἀρσενικόν ἐστιν· οἷον ὁ λιμός·*

παρὰ δὲ τοῖς Δωριεῦσι θηλυκόν· οἷον ἡ λιμός. schol. Ar. Ach. 743 (709) *τῆς πρώτης λιμοῦ· Δωριεῖς δὲ θῆλυ λέγουσι τὴν λιμόν.* Phryn. 188 *τὴν λιμόν Δωριεῖς· σὺ δ' ἀρσενικῶς τὸν λιμόν φάθι.* Thom. M. 222, 9 *ἡ λιμός· οἱ λυρικοί· σὺ δὲ τὸν λιμόν λέγε.* Sallierus putavit pro *λυρικοί* scribendum esse *Δωριεῖς* vel *Δωρικόν*, quae coniectura niteretur Phrynichi auctoritate, quem persaepe exscriberet Thomas Mag. Sed iure Witterus respondet se nescire an consulto Thomas Mag. *λυρικοί* scripserit, cum permulti lyrici dialecto Dorica uterentur. Femininum autem genus recte Doriensi dialecto ascribi inde patet, quod Aristophanes in Acharnensibus Megarensem hoc genere utentem facit, Athenienses masculino, quodque Spartae in Apollinis templo erat *Λιμός διὰ γραφῆς ἀπομεμιμημένος ἔχων γυναικὸς μορφήν* (Ath. X, 452 B). Tamen non solum in dialecto Dorica genus femininum usui fuisse intellegimus ex hymno Hom. Cer. 311 *λιμοῦ ὑπ' ἀργαλέης.* Recentioribus vero temporibus in sermone pedestri plerumque feminine dicebatur *λιμός* vox, ut scholiasta ad Thuc. I, 112 *λιμοῦ γενομένου* notaret: *ἡ λιμός ἀρσενικῶς*, et ad III, 85 *σημείωσαι ὁ λιμός.* Apud Homerum, Hesiodum, Pindarum, poetas tragicos genus non cognoscitur. *Νόσος* vocem, ut genus femininum acciperetur in voce *λιμός*, magni ponderis fuisse verisimile est.

κλισμός semel apud Theocritum XV, 85 *ἀργυρέας κλισμῶ* secundum optimos libros mscr. feminine usurpatur, et Fritzschius (Ahrensio nisi fallor auctore) hunc usum dialecti Doricae fuisse ut in voce *λιμός* suspicatur.

4. Singulares observationes.

βάτος. Thom. M. 148 *οἱ κυρίως Ἀττικοὶ ἐπὶ ἀρσενικοῦ ὁ βάτος λέγουσιν οὐχ ἡ βάτος.* Moer. 99 *βάτος· τὸ τῆς ἀκάνθης εἶδος· ἡ βάτος θηλυκῶς Ἑλληνικῶς.*

πηλός. Phryn. 55 *ἡ πηλός Συρακούσιοι λέγουσιν ἁμαρτάνοντες.* cf. Thom. M. 289. Eust. 1504, 38 *ὀλοώτατος ὀδμή· ὅρα δὲ ὅτι διγενὲς καὶ τὸ ὀλοώτατος.* (cf. schol. δ 442.) *οὐ γὰρ μόνον κοινότερον ἀρσενικὸν ἀλλὰ καὶ θηλυκὸν Ἀττικῶς. ὡς δὲ πολλὰ καὶ ἄλλα τοιαῦτα πολλαχοῦ παρεσημάνθη, ὧν καὶ*

τὸ ἡ πηλός κατὰ τὸν γραμματικὸν Διόδωρον. καὶ τὸ ἡ λιμός. Nunnesii sententiam, qui dicit 'muliebre etiam esse et Atticum observat (scil. Eustathius) ex Diodoro quodam grammatico', iure impugnat Lobeckius, qui negat Atticos hoc nomen feminine enuntiasse ullo verbo Eustathium significare, atque etiam alterum exemplum *ἡ λιμός* docet has voces non ad proprietatem dialecti Atticae pertinere.

λάγυνος. Moer. 246 *ἀρσενικῶς Ἀττικῶς, θηλυκῶς Ἑλληνικῶς.* Ath. XI, 499 D *λάγυνον δὲ μέτρου ὄνομα κτλ. καὶ ἐν Πάτραις* (Achaiae) *δέ φασι τοῦτ' εἶναι τὸ μέτρον, τὴν λάγυνον. ἀρσενικῶς δὲ εἴρηκε τὸν λάγυνον Νικόστρατος μὲν ἐν Ἑκάτῃ, Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Θετταλῶν πολιτείᾳ θηλυκῶς λέγεσθαί φησιν ὑπὸ Θετταλῶν τὴν λάγυνον.*

5. Quod genus masculinum aut femininum usurpatur, grammatici singulorum virorum, praecipue poetarum, auctoritati et voluntati ascripserunt.

schol. *Η* 474 *ἰστέον γάρ, ὅτι ὁπόταν περὶ πλήθους θρεμμάτων διαλέγονται οἱ ποιηταί, κατὰ θηλυκὸν προφέρονται.*

schol. Eur. Phoen. 3 *θοαῖς ἵπποισι· ἔδει δὲ ἐκ τοῦ ἐπικρατοῦντος ἀρσενικῶς αὐτοὺς ὀνομάσαι· ἔθος δὲ τοῖς ποιηταῖς θηλυκῶς λέγειν τὰς ἵππους, Σώφρονι 'τὰν ἵππον', καὶ Ἱππολύτῳ* (1223) *'αἱ δ' ἐνδακοῦσαι', καὶ παρ' Ὁμήρῳ* (*Ψ* 376) *αἱ ἵπποι.*

Ar. av. 472 (475) c. schol. *ἐπεὶ λόφον ἔχει ἡ κορυδός. θηλυκῶς δὲ εἴρηκε τὴν κορυδόν, ὁ δὲ Πλάτων* (Euthyd. 291 D) *ἀρσενικῶς.*

schol. Ar. av. 620 *ταῖσι κομάροις· ὅτι τὰς μὲν κομάρους θηλυκῶς φησιν, ἀρσενικῶς δὲ τοὺς κοτίνους. εἴδη δὲ δένδρων ταῦτα.*

schol. *Α* 312 *Τάρταρος. ἀρσενικῶς, καὶ κατὰ μεταβολὴν ἡ Τάρταρος παρὰ Πινδάρῳ* (pyth. I, 15 [29]). Eust. ad *Α* 312 (p. 108, 22) *μεταβολὴ δὲ γένους καὶ Ἰσθμός καὶ ἡ Τάρταρος παρὰ Πινδάρῳ.* schol. Pind. pyth. I, 15 *ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ· πάλιν κατὰ τὸ ἴδιον ἔθος θηλυκῶς τὴν Τάρταρον προήγαγεν,*

ὡς καὶ τὴν Ἰσθμόν. schol. ol. VIII, 48 (64) *ἐπίφορός ἐστι* (scil. *ὁ Πίνδαρος*) *πρὸς τὰ θηλυκά· ὡς τὸ ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ, ὡς καὶ νῦν τῇ Ἰσθμῷ.* Ex dialecto tamen aliqua Pindarum huic assuevisse consuetudini Boeckhius ad Pind. p. 434 censet. Nicander quoque in ther. 204 *Τάρταρον ἰλυόεσσαν* exhibet.

Secundum Bachm. anecd. I, 418 apud Euripidem *χνόος* vox in feminino genere inveniebatur.

Thomae M. (p. 222, 9) verba *ἡ λιμός· οἱ λυρικοί· σὺ δὲ τὸν λιμόν λέγε,* prius attulimus.

Secundum Ath. XI, 499 B. *λάγυνος* apud diversos poetas diverso fuit usui. Rhianus enim *ἥδε λάγυνος* dicit, Nicostratus, Lynceus, Diphilus genere masculino utuntur.

πῖλος. Theophr. h. pl. 4, 8, 7 de fabae Aegyptiae foliis dicit: *ὧν καὶ τὰ μεγέθη πίλῳ θετταλικῇ,* et paullo post *ἐξ οὗ γίγνεται ἡ πῖλος,* ubi Wimmerus correxit *ὁ πῖλος.*

ἄσβολος. Bekk. an. I, 17 *θηλυκῶς λέγουσιν· Ἱππῶναξ δὲ ἀρσενικῶς.* Praeterea genus masculinum adhibetur apud Hippocr. de morb. mul. I, 100 p. 792. Theophr. de ign. 39 *τὸν ἄσβολον* sec. libros mscr., ubi Sallierus *τὸν* mutavit in *τήν.*

Ex his testimoniis intellegimus poetas in nonnullis nominibus genus femininum praetulisse masculino, qui usus cuius dialecti proprius fuerit pro certo dici non potest.

II. Diversis temporibus in diverso genere ponuntur nonnulla nomina.

Hoc loco nescio an saepe scholiastarum notis liceat testimonio uti, quibus dignum videbatur esse, quod memorarent hanc vel illam vocem hoc vel illo genere dici. Quod enim distincte commemorat schol. Thuc. I, 112. III, 85 *λιμός* vocabulo masculinum genus ab historico attribui, coniectare possumus id nomen aetate scholiastae, vel eius quo auctore usus est, feminine usurpatum fuisse. Ob eandem causam nescio an schol. ad Ar. Ach. 229 dicat *παρατηρεῖν δὲ δεῖ ὅτι ἀρσενικῶς λέγουσι τὸν σχοῖνον.* cf. Mehlhorn. gr. Gr. 1845 p. 145. Ubi in libris ipsis diversorum temporum veteres de genere ambigant, ea nomina nunc congerenda videntur esse.

1. Masculinum genus in femininum mutatur.

γωρυτός, ὁ φ 54. cf. Eust. p. 39, 6. 1898, 51. Luc. Herc. 1. — *ἡ* Rhian. 8 in Anth. Pal. VI, 34. Schneid. Zonaras p. 461 *γράφεται καὶ ἡ γωρυτός.* Eustathius genus masculinum adhibet, quod Homeri locum imitatur.

ἤλεκτρος, ὁ. Apud Homerum et Hesiodum genus incertum est; in Soph. Ant. 1025 (1038) *τὸν ἤλεκτρον* compluribus viris doctis suspectum est. In Arist. equ. 532 et apud recentiores *ἡ ἤλεκτρος* invenitur. schol. Ar. equ. 532 *ἐκπιπτουσῶν τῶν ἠλέκτρων ἀπὸ τοῦ αἱ ἤλεκτροι.* Alex. Aphr. in praef. probl. p. 248, 21 *ἡ ἤλεκτρος λεγομένη. τὸ ἤλεκτρον* vulgo adhibetur cf. Mehlh. gr. Gr. p. 145.

θησαυρός, ὁ; vulgo, uno loco CIG. 8786 (saec. XIII) est in theca quadam *τῇδε θησαυρῷ.*

κόχλος, ὁ saepe. Theocr. XXII, 75 *κόχλον κοῖλον,* cod. D *κοίλην,* sed XXII, 77 *κόχλου φυσηθέντος*; *ἡ κόχλος*: Paus. III, 21, 6. Apoll. Rhod. III, 858. Iac. Anth. Pal. p. 842. Stob. flor. 93, 23. Schaefer ad Soph. Tr. arg. tom. II, 330.

λάγυνος, ὁ postea etiam *λάγηνος,* Nicostr. et alii apud Ath. XI, 499 B. *ἡ* recentiores scriptores: Rhian. ap. Ath. XI, 499 D; in epigr. Anth. Pal. VI, 248, 2 *λάγηνος* vocatur *κασιγνήτη βακχείας κύλικος.* Plut. Mor. 509 D: *κενὴ λάγηνος.* De dialectorum discrimine supra diximus.

μάρμαρος, ὁ *M* 380. ι 499. Ar. Ach. 1171 (1135); posteriore aetate etiam feminine usurpatur: Theocr. XXII, 210 de sepulcro, Strab. IX, 23 p. 399. Hippocr. p. 666, 20. Ioseph. p. 1007, 24. Tzetz. hist. 3, 211.

οἶμος, ὁ, ἡ (*Λ* 24?). *ὁ* Hes. opp. 290 cf. Xen. apol. II, 1, 20; Pind. ol. 9, 72. pyth. 2, 96. 4, 248. Plat. rep. III, 420 B. Luc. in Hermot. T. I p. 506. Diagor. frg. 1, 3 (Bergk.) *ἡ*: Aesch. Prom. 394, idem ap. Plat. Phaed. 108 A. Eurip. Alc. 838 (835). Ap. Rhod. IV, 43. Dion. Hal. art. rhet. II, 40. Nic. al. 615, epigr. ap. Diog. La. VI, 78, Suid. s. v. *οἶμος* ex Anth. Pal. VII, 246. In titulis CIG. 3118. 3328. 5083, qui sunt temporis Romani *ἡ οἶμος* dicitur, ex aetate christiana Iacobsius ad Anth. P. p. 19

2

genus femininum exhibet. Ammon. 102: *οἶμος οἴμης διαφέρει. οἶμος μὲν γάρ ἐστιν ἀρσενικῶς ἡ ὁδός, οἴμη δὲ ἡ ᾠδή.* Moschop. s. v. *οἶμος, ἡ ὁδὸς ποιητικόν· γράφεται δὲ καὶ ὁ οἶμος καὶ ἡ οἶμος.*

μόλιβος, μόλυβδος ὁ (*Λ* 237?), Theophr. de sens. 62. de odor. 41. Ael. n. an. 15, 28. Ap. Rhod. IV, 1680. ἡ Antip. Sid. Anth. IX, 723. Ammon. p. 124.

ὄνθος, ὁ *Ψ* 775. 777 *ὄνθον βοέον.* Suid. s. *ὄνθος· βόλβιτον τουτέστιν ἡ τῶν βοῶν κόπρος. Ὅμηρος ἐν δ' ὄνθου βοέης πλῆτο*, ubi A. C. *βοέος πλεῖστο* praebent, sed verisimile est Homeri scripturam *βοέον* restituendam esse. ἡ *ὄνθος* Apollod. II, 5, 5, 2.

πέτρος, ὁ, apud Homerum, Pindarum, poetas tragicos semper masculine dicitur (Eur. Or. 625 [614] *πέτροις.* schol. *διὰ πέτρων. ἡ εὐθεῖα ὁ πέτρος Ἀττικῶς* cf. Or. 59), recentioris aetatis poetae ut ἡ *λίθος* ita ἡ *πέτρος* dicunt. Anth. P. VII, 274. 479. 429. cf. Iacobs. ad Anth. P. p. 327 et observ. critt. in Anth. Gr. p. 26 sq. Monachii 1812. Schaefer. Ap. Rhod. tom. II, 629. De *πέτρα, πέτρη* forma vide infra.

στίβος, ὁ nobis nisi in masculino genere non traditum est, cum autem schol. ad Eur. Or. 1274 notet *ἀρσενικῶς ὁ στίβος εἶπε*, nescio an recentioribus temporibus secundum ἡ *ὁδός* et alia nomina etiam ἡ *στίβος* dictum sit. In Theocr. id. XXV, 156 pro *λεπτὴν τρίβον* varia lectio est *λεπτὴν στίβον.*

τρίβος, ὁ schol. Or. 1251 (1248) *ὁ τρίβος καὶ ὁ οἶμος Ἀττικῶς* (Florr. *Ἰωνικῶς*) CIG. 5594 col. sin., lin. 30 etc. Eur. Or. 1251, ubi deteriores libri inferunt femininum, Or. 1258. El. 103. Plat. pol. 420 B. Plut. mor. 161 F. Theocr. XXV, 228 *ὑλήεντι τρίβῳ*, ubi Fritzschius putat masculinam formam adiectivi positam esse pro feminina ut apud Hom. *α* 246 *ὑλήεντι Ζακύνθῳ*, quam sententiam falsam esse infra explicabitur (p. 47 sq.). Quanquam *ὑλήεντι τρίβῳ* per se nihil habet offensionis, tamen fortasse varia lectio *ῥίῳ* melius ad sensum convenit. Plut. Arat. 22 ἡ *τρίβος*: Theocr. XXV, 156 *λεπτὴν τρίβον*, v. l. *στίβον.* Aesch. Suppl. 1042 (Dind.). Herm. (1013) *ψέδυραι τρίβοι*, alii alia. Certiores loci apud recentiores inveniuntur: Agath. Anth. P. V, 302. Lycophr. 90. Diod. 17, 49. Procop. hist. Arc. 15. Steph. B. 483, 19. CIG. 8811 (aetatis christianae). Eust. p. 1200, 34 *ἐνταῦθα δὲ τὴν πεπατημένην ὁδὸν πάτον λέγει, τουτέστι τὴν τρίβον.* cf. 74, 2 *ἔτι δὲ καὶ ἡ τρίβος καὶ ὁ τρίβος, ὡς Εὐριπίδης γράφει.* Et. M. 615, 8 *ὁδός . . . ἡ πεπατημένη τρίβος*, quae verba Lentzius Herodiano assignavit.

φωριαμός (*Ω* 228?, *ο* 104?) Et. M. 804, 11 s. *φωριαμός* in V suprascriptum est *ἔστι δὲ ἀρσενικόν.* ἡ Ap. Rhod. III, 801. 843 cum schol.

χηραμός, ὁ (*Φ* 495?), ἡ Ap. Rh. IV, 1450. Iac. Ach. Tat. p. 523.

2. Generis feminini locum excepit masculinum.

βῶλος, ἡ (*σ* 374?) Hdt. II, 111. Phryn. 54 *ἡ ὄμφαξ, ἡ βῶλος, θηλυκῶς δέον, οὐκ ἀρσενικῶς.* cf. Moer. p. 95. Thom. M. 52, 10 de gleba utrumque genus usurpari docet. Propter illa Atticistarum praecepta negat Iacobsius in Liban. decl. T. IV, 187, 7 *τοῖς βώλοις* tolerari posse, atque etiam aliis locis viri docti genus masculinum coniecturis tollendum esse censuerunt: Plut. Al. 35. Dio Chr. Or. III p. 111. Luc. Tim. 34 ubi quanquam omnes libri mscr. *τοῖς βώλοις* exhibent, tamen Berglerus ad Alciphr. III, 34 scripsit *ταῖς βώλοις*, quod Alciphr. l. l. Luciani locum imitatus *ταῖς βώλοις* scriberet. Idem in Geopon. III, 11, 1 *τὰς βώλους* emendavit, quanquam libri in masculum fere consentiunt et II, 24, 160 *τὸν βῶλον* exhibent. Quod si his locis viris doctis genus masculinum suspectum videbatur esse, mansit adhuc multis aliis locis, quos defendere possumus iis, quae Sext. Emp. adv. math. I, 148 dicit: ὁ *βῶλος* Arist. mirab. 45. Dio C. 40, 47, 252. Zosimus III, 21, 247. schol. Nic. ther. 174. al. 514. Lycophr. 484. Hes. s. v. *κράφα.* In Anth. P. VII, 175. Iacobsius *πᾶσ' ἀπόλωλε . . βῶλος* recepit, ubi alia membrana exhibent *πᾶς βῶλος.* Quod vero Thom. M. p. 53 e Soph. Ai. v. 1286 genus masculinum affert, *ὑγρᾶς ἀρούρας βῶλον, ὃς . .* id errore factum est, cum hoc loco *ὅς* pronomen ad *κλῆρος* vocem non ad *βῶλος* nomen spectet. Itaque hoc quidem videtur concedendum esse *βῶλος* vocem inde ab Aristotele saepe

masculine dictam esse. Num his locis vetustus usus servatus sit, pro certo dici non potest.

γέρανος, ἡ *Γ* 3 etc. Genus masculinum non solum de pisce (Ael. n. a. 15, 9) adhibetur, sed etiam de ave apud recentiores. Nam praeterquam quod in Arist. h. a. 5, 2 p. 539, 31. 8, 2 p. 597, 4 nonnulli libri mscr. exhibent *οἱ γέρανοι*, Theophr. de ign. 3, 2 p. 794. 4, 3 p. 798 utrumque genus usurpat, eademque varietas in Ael. n. a. 7, 7 invenitur, nec non in Aesop. fab. 147. 376 genus masculinum traditur.

δοκός, ἡ *τ* 38 etc., recentissimis temporibus *ὁ δοκός* dicitur. Thom. M. 102 *τὸ δοκός καὶ ἐπὶ θηλυκοῦ καὶ ἐπὶ ἀρσενικοῦ εὕρηται. Λιβάνιος· δοκοὶ κάτω φέρουσαι πῦρ. Λουκιανὸς ἐν τοῖς ἀληθινοῖς· μεγάλοις δοκοῖς*, vide Luc. ver. h. 2, 1, ubi meliores membranae *μεγάλαις* perhibent. Alius quoque locus incertus est apud Diog. L. 5, 81, qui Demetrii librum *περὶ τοῦ δοκοῦ* commemorat, quae verba melius ‘de opinione’ quam ‘de trabe’ transferuntur. Certiora videntur esse haec: Dind. schol. Aesch. Pers. p. 419, 4. 5 *ἐπὶ τοὺς δοκοὺς . . ., ἕτεροι δοκοί*, et Apollod. 1, 9, 12, 4 *ὁ δοκός*, ubi iniuria Clavierius genus femininum ponendum esse censuit. Recte masculinum defendit Iac. ad Anth. P. p. 327, cui assentitur Schaefer. ad Ap. Rh. II, 206.

κόπρος, ἡ *ι* 329. *ρ* 297; recentiores etiam *ὁ κόπρος* dicunt, ut schol. Ar. plut. 305. 663 Ald. Schaefer. Longin. p. 392. Lob. ad Phryn. 760.

ξύλοχος, ἡ iam ab Homero nullo substantivo addito usurpatur pro loco arboribus fruticibusque condenso *Λ* 415 etc., atque etiam recentiores epici hoc vocabulo utuntur. Genere masculino, quod Papius nescio quo iure dicat plerumque poni, unus utitur Tryphiodorus 198, nam *ὀξέων ξυλόχων* Anacr. 29, 5 formam communem esse sunt qui censeant.

σμάραγδος, ἡ, apud veteres plerumque, apud Theophrastum semper in feminino genere ponitur. In Strabonis libr. XVI, 779 *ὁ σμάραγδος καὶ ὁ βήρυλλος* falso dici putat Dindorfius (Steph. thes. VII, 482), cum idem XVII, 815 praebeat *τὰ τῆς σμαράγδου μέταλλα*. Neque vero id concedendum

est. Cum enim apud Luc. de domo 15 *τὸν σμάραγδον* et apud Cosmam quamvis recentioris aetatis in top. Christ. p. 339 A *τὸν σμάραγδον λίθον* inveniamus, et in Hdt. II, 44 *σμαράγδου λίθου λάμποντος* scriptum videamus, licet conicere Strabonis temporibus utrumque genus adhiberi potuisse.

ψῆφος, ἡ, apud recentiores interdum *ὁ ψῆφος*, etsi exempla pleraque incerta sunt. Plut. Coriol. c. 19 in duobus libris est *τὸν ψῆφον* vel *τῷ ψήφῳ*. Et. M. 595, 7 *ἀπὸ τοῦ μεμυκέναι τοὺς δακτύλους ἐν τοῖς ψήφοις*, ubi cod. Voss. exhibet *τῷ ψήφῳ*, Gud. *τῇ ψήφῳ*. Et. M. 666, 17 *πέσσα ὁμωνύμως ἤτε γραμμὴ καὶ ὁ ψῆφος*, cod. Voss. *ἡ ψῆφος*. schol. Thuc. I, 20 *μιᾷ ψήφῳ· οἱ γὰρ Λακεδαιμονίων δύο βασιλεῖς ψήφους ἔφερον ἐν τῇ γερουσίᾳ, ἑκάτερος ἕνα, διττὴν ἔχοντα δύναμιν* et paullo post *ἀλλὰ δυεῖν· οὐκ ὀρθῶς οἴονται ‘μὴ μιᾷ ψήφῳ’ προστίθεσθαι ἑκάτερον ἀλλὰ δυεῖν.* — Heliod. p. 112. Significationis quoddam discrimen excogitavit scholiasta Byzantinus ad Eurip. Hec. 256 *ψῆφος ἀρσενικῶς ὁ λογαριασμός· ψῆφος δὲ θηλυκὸν ἐνίοτε μὲν ὁ καιρικὸς νόμος, ἄλλοτε ἡ ἀπόφασις καὶ τὸ κῦρος.* Quam explicationem quanquam non accipimus, tamen inde id elucere videtur interdum *ψῆφος* vocem in genere masculino positam fuisse.

ψίαθος, ἡ, apud recentiores ὁ, ἡ *ψίεθος*, confer Lob. Phryn. 309. Suid. *ψιάθου· θηλυκόν· λέγεται δὲ παρ᾽ Ἀριστοφάνει καὶ ἀρσενικῶς τοὺς* (Par. *Α τὰς*) *ψιάθους*. Sequitur igitur Callistrati grammatici lectionem, de qua vide schol. Ar. ran. 567 (574) *ἐν δὲ τῷ Καλλιστράτου γέγραπται τοὺς ψιάθους, καὶ ὅτι σεσημείωται τοῦτο ὅτι ἀρσενικῶς εἶπε*, et *ὅτι ᾧδε ἀρσενικῶς, ὧδε δὲ θηλυκῶς, διὸ τὸ χ.* Neque vero nobis ullus locus relictus est, ubi genus masculinum certum possit haberi praeter schol. Thuc. IV, 48 *φορμηδόν· ὡς ἐάν τις πλέξῃ φορμοὺς τοὺς καλουμένους ψιάθους*, cf. schol. II, 75. Nonnulla alia nomina, quae singulis locis a scriptoribus posterioris aetatis in alio genere atque prioris ponuntur infra suo loco enumerabuntur.

Nunc duo iuvabit afferre testimonia, quibus quam inconstantes scriptores fuerint, demonstratur. Sextus Empiricus

enim adv. math. I, 148 dicit: *τὰ δὲ αὐτὰ ὀνόματα οὐ πᾶσίν ἐστι τὰ αὐτὰ, ἀλλὰ τοῖς μὲν ἀρρενικὰ, τοῖς δὲ θηλυκὰ, τοῖς δὲ οὐδέτερα. οἷον Ἀθηναῖοι μὲν τὴν στάμνον λέγουσι θηλυκῶς, Πελοποννήσιοι δὲ τὸν στάμνον ἀρσενικῶς, καὶ οἱ μὲν τὴν θόλον, οἱ δὲ τὸν θόλον, καὶ οἱ μὲν τὴν βῶλον, οἱ δὲ τὸν βῶλον. καὶ οὐ διὰ τοῦτο οὗτοι ἢ ἐκεῖνοι λέγονται ἁμαρτάνειν. ἕκαστος γὰρ ὡς τεθεμάτικεν, οὕτω χρῆται. καὶ οἱ αὐτοὶ δὲ διαφόρως τ᾽ αὐτὰ ὁτὲ μὲν ἀρρενικῶς ὁτὲ δὲ θηλυκῶς λέγοντες τὸν λιμὸν καὶ τὴν λιμόν. οὐκ ἄρα φύσει τῶν ὀνομάτων τὰ μὲν ἀρρενικὰ τὰ δὲ θηλυκὰ, ἀλλὰ κατὰ θεματισμὸν τὰ μὲν τοιαῦτα γίνεται, τὰ δὲ τοιαῦτα.* Ubi cum Sextus ex pacto et convento cuique nomini genus attribui censeat, tum de mutato genere paullo post hoc fere modo disserit: ‘sin autem ut quod masculinum posuerit pro feminino ab usu communi imposito, tunc iudex eius quod recte dicitur et secus, erit non artis praeceptum aliquod et grammatica ratio, sed artis expers et simplex usus observatio’. Quare nisi fallor analogia quam dicimus latissime vagari potest. Multo vero liberius de genere grammatico Galenus iudicat, cuius e libris hos colligam locos (cf. Lob. ad Phryn. 761 sq.): De med. simpl. IX c. II, 1, 254 A *ἔνιοι λίθον ἀρσενικῶς οὐκ ἐπιτρέπουσι λέγειν. ἐὰν οὖν ἐκείνοις τις πειθόμενος τὰ συνήθη τοῖς ἰατροῖς ὀνόματα μεταῤῥυθμίζῃ, τὴν λίθον λέγων τὴν αἱματίτιν (αἱματῖτιν), ὡς περίεργός τε καὶ παράσημος καταγνωσθήσεται πάντων ἐξ ἤθους ἤδη παλαιῶν (παλαιοῦ) λεγόντων ἀρσενικῶς αἱματίτην, γαλακτίτην, φρύγιον, μεμφίτην, ἔμπαλιν δὲ τὴν πέτραν λέγουσι θηλυκῶς οὐ τὸν πέτρον. ἔγωγ᾽ οὖν ἐξεπίτηδες εἴωθα μεταβαλὼν τὰ ὀνόματα λέγειν ἑκατέρως τὰ τοιαῦτα, περὶ ὧν ἀχρήστως ἐρίζουσιν ἔνιοι, δεικνὺς μηδὲν βλαπτομένην τὴν σαφήνειαν τῆς ἑρμηνείας.* X, 2, 18 p. 288 C *κόπρος εἴτε κόπρον εἴτε ἀπόπατον καλεῖν ἐθέλεις, οὐ διοίσει.* de comp. med. p. Gen. V, 2, 776 F *ἡ ἄσφαλτος ἢ ὁ ἄσφαλτος, ὁποτέρως ἂν ἐθέλῃς καλεῖν.* de comp. med. p. loc. VI, 4, 496 B *Χαλκάνθου μιχθέντος ἢ μιχθείσης, ὁποτέρως σοι φίλον ὀνομάζειν, κτλ.* De hac inconstantia Lobeckius ad Phryn. p. 761 dicit: atque haec in verbis declinandis et construendis libertas omnibus illis con-

cedenda est, qui linguam patriam non a magistris *ἀλλὰ τῆς μητρὸς πάρα* didicerunt neque tam arte et ratione quam consuetudine eruditi sunt. Grammatici vero saeculi sui corruptelis obviam ire ac veluti saepem praetendere maturae segeti annisi, primum rationem habuerunt, quemadmodum veteres locuti essent, id quod erat inventu facile, deinde, cum illi ipsi non omnia eodem modo dixissent, quid ratio praescriberet, quaesiverunt, aliud esse rati graece, aliud grammatice loqui. Cuiusmodi quaestiones induxerunt iidem illi, a quibus grammaticae disciplinae initia iacta sunt, Sophistae. Idem paullo post p. 762: Verum illa in generibus inconstantia, quam Galenus se defugere negat, nobis inconcessa, Graecis autem tam familiaris est, ut si usus esset idem nomen brevi intervallo saepius iterare, plerumque genera variasse reperiantur. Sic in eodem inciso *στάδια* et *σταδίους* Thuc. VII, 78, quem semel hoc loco neutro genere usum esse observat Photius.

Quod si quae grammatici de usu generis praeceperunt, repetimus, ulla ratio vix invenitur, cum tam Attici quam Iones et Dores in compluribus vocibus genus femininum praetulerint. Nonnunquam certe singularibus locis, usu singulorum scriptorum ut id discrimen facerent, commoti sunt, ita ut non tam dialecti proprium fuisse videatur genus femininum, quam singulorum scriptorum, imprimis poetarum, quos inter omnes constat a pura dialecto multum saepe abhorruisse.

CAPUT TERTIUM.

Quae sunt secundae declinationis nomina generis feminini enumerantur et ex significationibus in ordinem digeruntur.

Nunc nomina feminina secundae declinationis singulis ordinibus proferemus. Ita enim totam turbam horum substantivorum componemus, ut voces eiusdem notionis coniungantur.

I. Nomina, quibus animalia significantur.

Haud dubie primam causam generis grammatici nominum distinguendi hominum ceterorumque animantium sexus praebuerunt. Atque iam vetustissimis quidem temporibus videmus consuetudinem fuisse, ut diversus sexus nominibus ex diversa radice procreatis significaretur, ut *ὁ ἀνήρ, ἡ γυνή, homo, femina, mann, weib, ὁ τράγος, ἡ αἴξ, taurus, vacca, ochs, kuh.* Talia exempla in omnibus linguis multa sunt, neque fugerunt veteres viros doctos. Theodosius enim grammaticus p. 132: *οἱ ὀνοματοθέται ἀκολούθως τοῖς πράγμασι τὸ μὲν ἀρσενικὸν καὶ θηλυκὸν ὄνομα τοῖς ζώοις ἀπεκληρώσαντο τὸν μὲν ἄρσενα ὄφιν ἀρσενικῶς ὀνομάσαντες, τὸν δὲ θῆλυν ἔχιδναν θηλυκῶς, καὶ τὸν μὲν ἄρσενα ἄνθρωπον ἀρσενικῶς ἄνδρα, τὸν δὲ θῆλυν γυναῖκα.* Helladius ap. Phot. cod. 279, 865 *τοῦ ἀνδρὸς τὸν ἀδελφὸν δαέρα καλοῦσι, τὴν δὲ ἀδελφὴν οὐ δάειραν, ἀλλὰ γάλον* (hoc apud Photium, apud Hom. *γάλως* cf. schol. *Γ* 122 Curt. etym. 173. 575), *καὶ θεῖον μὲν τὸν τοῦ πατρὸς ἀδελφὸν, οὐκέτι δὲ θείαν τὸ θῆλυ, ἀλλὰ τηθίδα.*

Praeterea inde a priscis temporibus, ut feminae et masculi distinguerentur terminatio mutata est: *ὁ ἀστός, ἡ ἀστή, ὁ ἑκυρός, ἡ ἑκυρά, magister, magistra, victor, victrix, lehrer, lehrerin, λύκος, λύκαινα, lupus, lupa, wolf, wölfin.*

Tertium autem genus est eorum, quibus et masculi et feminae significantur forma non mutata: *ὁ, ἡ ἄγγελος, ὁ, ἡ θεός, dux, comes,* alia. Horum vero nominum usus apud singulos scriptores diversisque temporibus maxime varius est.

In distinguendo s e x u b e s t i a r u m Graeci non tam diligentes sunt, quanquam omnino sexus eadem ratione qua hominum sexus enuntiatur. Primum enim nominibus ex diversa radice procreatis mares et feminae significantur: *ὁ ταῦρος, ἡ βοῦς*[1]*), ὁ τράγος, ἡ αἴξ,* ut in lingua Latina *taurus, vacca.*

Deinde motione sexus discrimen declaratur: *ὁ κάπρος, ἡ κάπραινα; ὁ ὀνίσκος, ἡ ὀνίσκη; ὁ κίκκος, ἡ κίκκη* Hes., quibus

1) Cf. Theocr. I, 74 *πολλαὶ βόες . . . πολλοὶ δέ τε ταῦροι.*

conferenda sunt: *agnus, agna, asinus, asina, gallus, gallina,* et in morem Graecum formata *leo, leaena, draco, dracaena.* Deinde multa nomina communia sunt *ὁ, ἡ ἵππος,* hic et haec *lupus* (vulgo *lupa*), cf. Serv. ad Verg. Aen. 8, 641. Enn. ap. Non. p. 378. Quint. 1, 6, 12.

Verum tamen bestiarum sexus cum genere grammatico non semper congruit, vel ibi ubi Graeci unos mares significari volunt, genere feminino utuntur. Arist. h. a. I, 5 *αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσιν,* et Gal. de simpl. med. XI, 7, 334 T. XII *τὰ κέρατα τῆς ἐλάφου.* Vetustioribus temporibus plura fuisse communia videntur, quae postea feminis novam dabant formam. Ut enim in lingua Latina prius hic et haec *lupus,* postea *lupus, lupa* dicebatur, cf. Cato. R. R. 134, 1. 2, Cic. legg. 2, 22, 57 *porcus femina* dicitur, ita in lingua Graca formae ut *κάπραινα, λύκαινα, δράκαινα, ὕαινα,* recentiores sunt, neque ulla supra Alexandrinorum aetatem repeti potest (Lobeck. prol. path. p. 31). Postremo inter nomina bestiarum e p i c o e n a dicenda sunt. Haec enim ab iis quae c o m m u n i a dicimus hac potissimum re differunt, quod illa una voce et una articuli forma utriusque sexus animalia significant, haec autem adiecto masculino articulo mares, feminino feminas indicant. Itaque *ἡ ἀλώπηξ* de vulpe mascula et femina, *ὁ μῦς* eodem modo dicitur. Quin etiam nonnunquam sexus distincte notatur genere grammatico non mutato. Ut enim apud Plin. n. h. 28, 11, 46, 166. 30, 7, 20, 60 est ʻvolpis masculaeʼ, ʻanatum mascularumʼ, ita saepe apud Graecos *θήλεες ἵπποι* (*E* 269) et alia inveniuntur.

Saepius autem, ubi ad sexum notandum adiectiva *θῆλυς* et *ἄρσην* adiciuntur, genus grammaticum cum sexu convenit, ut Pind. ol. III, 52 *ἔλαφος θήλεια,* Hdt. III, 86 *ἡ θήλεα ἵππος.* C. Plin. de re med. 2, 6 anatum masculorum. Nec desunt formae geminae, quibus promiscue mares et feminae significantur: *araneus, aranea; lacertus, lacerta; simius, simia; ὁ σμίνθος, ἡ σμίνθα, ἡ χέλυς, ὁ χελωνός, ἡ ἀλώπηξ, ὁ κίδαφος* Hes. Nonnunquam postea recentibus formis sexum distinctum esse docet Varro l. lat. 9, 38, 55. 56: *equus* dicitur et *equa,* in usu

enim horum discrimina; *corvus* et *corva* non, quod sine usu id, quod dissimilis natura. Itaque quaedam aliter olim ac nunc. Nam et cum omnes mares et feminae dicerentur columbae, quod non erant in eo usu domestico quo nunc, contra propter domesticos usus, quod internovimus, appellatur mas *columbus*, femina *columba*; cf. Varro R. R. 3, 5, 6.

Quod si ea bestiarum nomina, quae sunt in -*ος*, spectamus, multa invenimus communia, ac si universe de bestiis non de singulis animalibus dicitur, ex usu et testimoniis grammaticorum apud scriptores Attici sermonis semper praefertur genus femininum.

Praeterea schol. *H* 474 dicit a poetis pecudes feminine appellari, alius in Et. M. 473, 34 ab Ionibus, quos in aliis quoque vocabulis genus femininum praetulisse supra explicavimus.

Priusquam singula nomina afferamus, pauca de nominibus propriis praemittenda videntur esse. In his enim plerumque feminis propria attribuitur forma, ut nomen feminae a maris nomine satis discrepet. Itaque facile intellegitur, cur ea quoque nomina, quae appellative usurpata communia solent esse, composita dico, tum cum nomina propria sunt, terminationem mutent, ut *Σώσανδρος*, *Σώσανδρα*; *Κλεόβουλος*, *Κλεοβούλη*.

Attamen pauca nomina reliqua sunt, quae in masculina positione feminas significant, inter quae nescio an plurima segreganda sint, quod proprie cognomina fuerunt, ad quae illam normam valuisse non constat. Ita nescio an intellegenda sint: *Ἄγραυλος*, vel *Ἄγλαυρος*, Hdt. VIII, 53. Ar. thesm. 533. Harpocr. *Ἄσπασος* in gemma invenitur cf. Menag. hist. mul. § 10. *Ἄτροπος*, Hes. scut. 295. theog. 905 etc. *Ἀγλαόφωνος*, schol. Ap. Rhod. IV, 892. *Ἐγχεσίμαργος*, Amazon quaedam, Tzetz. P. Hom. 180. *Πάνδροσος*, Ar. Lys. 439. Apollod. 3, 14, 2. Paus. 1, 2, 6. 1, 27, 2 Harpocr. (p. 235, 7 Dind.) *ὄνομα γυναικός*. *Περίαλλος*, Hdt. VI, 66 sec. cod. Sanscr., ubi praeferendum est *Περίαλλα*. *Πέρκαλος*, Hdt. VI, 65, uxor Demarati regis. *Παρήγορος*, Suadae cognomen Paus. I, 43, 6. *Πυλαίμαχος*, Minervae cognomen Ar. equ. 1172. *Ταυροπόλος*, Arist. Lys. 447. *Φωσφόρος*, Ar. Lys. 442.

Praeterea nonnulla feminarum nomina simplicia sunt, quae, proprie appellativa, ad personas translata sunt, ut nomina Hamadryadum: *Ἄμπελος*, *Βάλανος*, *Αἴγειρος* (Ath. III, 78 B); *Ῥόδος* Pind. ol. VII, 14. 71 nympha Rhodi eponyma, Diod. V, 55, quae schol. *ρ* 208 *Ῥόδη* dicitur; *Νῖνος*, Dem. 39, 2 meretrix, fortasse ab urbe vocata, ut meretrices solent; *Ἤπειρος*, Parthen. 32, ubi Legrand *Ἠπειρώ* scribendum esse censuit.

Iam redeamus ad nomina appellativa, quibus animalia significantur.

1. Homines.

A. Nomina simplicia, quae communia solent esse.

ἄγγελος, ὁ; ἡ apud Homerum novem locis de Thetide, Iride, Minerva, Fama adhibetur. *B* 93. *Δ* 715. *ω* 413. Theogn. 1198. Hippon. 54. (De nave usurpatur apud Thuc. III, 36. VIII, 106).

ἀκόλουθος, ὁ; ἡ Bacchyl. frg. 29. Plut. Caes. 10. Cic. 28.

ἄνθρωπος, ὁ.[1]) In genere feminino plerumque de ancillis et scortis neque vero semper contemptim dicitur, cf. Demosth. 47, 45 *ἄνθρωπος εὔνους καὶ πιστὴ καὶ ἀφειμένη ἐλευθέρα*. Aristot. Eth. Nic. p. 1148 b, 20. Eurip. Hippol. 474 *ἄνθρωπος οὖσα*. Athen. XII, 532 A *τὴν ἄνθρωπον*, et quos locos affert Aretaeus ex Aeliano s. v. *ἄνθρωπος*.

ἀοιδός, ὁ; ἡ Hes. opp. 208. Soph. O. R. 36. Eurip. Phoen. 1512. Rhes. 386. Theocr. XV, 97. *ᾠδός* Paus. X, 5, 5.

ἀρχός, ὁ; ἡ Theocr. XXV, 43.

διδάσκαλος, ὁ; ἡ h. Merc. 556. Aesch. Prom. 110. 391. Eur. Andr. 684. 946. Theocr. XXI, 2. Luc. Tim. 35.

ἔριθος, ὁ *Σ* 550. 560. cf. Eust. p. 1162, 21 *ἔριθοι οὐ μόνον αἱ ἐριουργοὶ γυναῖκες, ἀλλ' ἰδοὺ καὶ οἱ μισθοῦ ἐργαζόμενοι*, cf. 1553, 46. Choerob. in Cram. an. II, 199, 19. Et. M. ἡ Hes. opp. 602. 603. Theocr. XV, 30. Soph. In. frg. 269, ubi *ἔριθος* cum *ἀράχνη* voce coniungitur.

ἰατρός, ὁ; ἡ Eurip. Ion. 740 sq. Diog. trag. ap. Ath. XIV,

1) *ἀνθρωπώ*, ἡ foımam Hesychius e dialecto Laconica profert.

636 A. Plut. mor. p. 143 D (obstetrix). Phot. bibl. p. 531, 7. Hesych. s. v. *ἰατροί*.

μάγος, ὁ; ἡ Luc. as. 4. Anth. V, 16.

μελεδωνός, ὁ; ἡ curatrix Hdt. II, 65.

μῖμος, ὁ, Plut. Sull. 36 *συνῆν μίμοις γυναιξίν*.

ὀπηδός, ὀπαδός, ὁ; ἡ Pind. nem. III, 8. Soph. O. C. 1092. Eur. Alc. 134 (137), raro in sermone pedestri (Plat. Phil. 63 E. Phaedr. 252 C) et apud recentiores invenitur.

παρθένος, ἡ Σ 593. *ζ* 33 etc., de nummo Eur. frg. Scir. 2. Phot. lex. p. 64: *παρθένοι· οἱ γεννώμενοι παρθένῳ πρὸ τοῦ γήμασθαι· ὑπὸ δὲ Ἀθηναίων Ἐρεχθέως θυγατέρες· παρὰ δὲ Γοργίᾳ παρθένος ἐπὶ παντὸς ἀμετόχου τέτακται.* Aetate christiana nonnunquam *ὁ παρθένος* dicitur de Iesu vel de Ioanne, Anth. P. I, 55. CIG. 8784 b, cf. Suid. s. v. *Ἄβελ* et *Μελχισεδέκ*.

πομπός, ὁ; ἡ de Minerva *δ* 826. Aesch. Choeph. 84.

σκοπός, ὁ; ἡ de femina *χ* 396 cf. Eust. p. 1931, 61. Call. h. Del. 66; de cane Theocr. VI, 10.

τροφός, ἡ β 361 etc.; raro in masculino genere ponitur Eur. El. 409 *παλαιὸν τροφόν*. Eur. Herc. fur. 45. cf. Herm. ad Soph. Phil. 344. Plat. pol. 268 B.

τύραννος, ὁ; ἡ uxor tyranni. Eur. Med. 877. 1356. Hipp. 363. Hec. 809. Ion. 678. Andr. 204, et aliis locis. Soph. El. 664. Luc. Ner. 1: *αἱ τύραννοι φύσεις*.

Addere hoc loco placet vocem, qua multitudo hominum designatur *ὁ δῆμος*, de qua Eust. p. 1088, 38 *γυνὴ ἡ πάνδημος πορνή . . . ἀκόλουθον δὲ τῇ πανδοσίᾳ καὶ δῆμον αὐτὴν λέγεσθαι παρ᾽ Ἀρχιλόχῳ, καθὰ καὶ λεωφόρον ὡς Ἀνακρέων.*

His adiungenda sunt nonnulla nomina, quae proprie de rebus nonnunquam de hominibus dicuntur et alia, quibus modo homines modo bestiae significantur.

γόνος, ὁ, partus, proles. Aesch. Choeph. 252 (245) ubi *γόνος* et ad *Ἠλέκτραν* et ad *ἐμέ* (Orestem) pertinet. Eurip. Iph. A. 794 (792) *τὰν κύκνου γόνον*. Herm. etiam Eur. Or. 1029 *τὴν γόνον* reposuit, ubi alii libri *τὸν γόνον* exhibent [1]).

1) *γάμος, ὁ,* qua voce sunt qui dicant nonnunquam uxorem significari,

φθόρος, ὁ, pernicies, quo nomine, ut in lingua Latina voce scelus et aliis, interdum homo perniciosus significatur, Arist. equ. 1151. *τὴν φθόνον* Arist. thesm. 535.

φόνος, ὁ, caedes, ʻdeinde de re vel persona caedis auctore sive causaʼ, *φ* 24; *τὰν φόνον* Pind. pyth. IV, 250 (445).

μόσχος, ὁ, surculus, pullus, puer, puella *ὁ* Theocr. XVI, 36, *ἡ* IX, 7. VIII, 80. Eurip. Iph. T. 162 *γάλα τ᾽ οὐρείων ἐκ μόσχων*; de hominibus Eur. Hec. 205. 526. Andr. 711.

νεοσσός, ὁ pullus praecipue avium, per iocum etiam de infantibus dicitur. Epicrat. ap. Ath. XIII, 570 C *αὕτη ἦν νεοττὸς καὶ νέα*.

πῶλος, ὁ, ἡ de iuvene et virgine dicitur cf. Eur. Hipp. 545. c. schol. Hec. 140 (144); in titulo Laconico CIG. I, 685 Aurelia quaedam appellatur *πῶλος τοῖν ἁγιωτάτοιν θεοῖν*, Hes. s. *πωλία*, idem s. *πῶλος*. Ubi *πῶλος* vox de pullis equorum dicitur, *ὁ ἡ πῶλος* promiscue videtur adhiberi sine sexus nota: *ὁ ψ* 246, *ἡ Υ* 222. Soph. O. C. 312. El. 705. 735. 738. Theocr. II, 49; apud Aeschylum masculine dicitur.

Nunc restat ut tria nomina afferantur, quae de feminis tantum usurpantur:

ἡ λοχός, Diosc. 3, 4. Moer. 247 *λεχώ Ἀττικοὶ, λοχός Ελληνες* (cod. *λόχος*).

ἡ νυός, de qua voce vide p. 7.

ἡ ὄαρος, quod aeque atque *ἡ ὄαρ* (uxorem) dici tradit Hesych. s. v.

B. Nomina simplicia, quae partim communia, partim biformia sunt.

θεός, ὁ, ἡ, quod nomen hoc loco inter hominum nomina afferre liceat. *θεός* vox omnibus temporibus, ab omnibus scriptoribus, in titulis cuiusque dialecti promiscue de diis et deabus adhibetur. Neque vero deest forma *ἡ θεά*, quam inde ab Homero alii scriptores rarius alii saepius usurpant. Hug.

quod fieri posse alii negant. Id certe concedendum est haud facile inveniri *ἡ γάμος*, et qui proferantur loci pro uxoris notione certos haberi non posse. Vide Soph. Trach. 1139. Eurip. Andr. 103. Plut. comp. Arist. et Cat. 6. Dion. H. 3, 1.

ad Plat. symp. p. 180 D observat Platonem ut ceteros scriptores Atticos, qui usi sunt sermone pedestri ἡ θεός formam praeferre voci ἡ θεά. A poetis, quanquam nonnunquam θεός forma melius ad metrum se accommodat, tamen saepe ἡ θεός dicitur metro non cogente. Exempli gratia Soph. Ai. 401 ἀλκίμα θεός aeque bene dici potuit ἀλκίμα θεά, vel quoniam ἄλκιμος plerumque commune est ἄλκιμος θεά. Soph. Ai. 1079 ἡ δεινὴ θεός, Eur. Iph. A. 976 σεμνῆς θεοῦ, Herc. 1307 τοιαύτῃ θεῷ multa alia.

κόρος, ὁ; ἡ Hippocr. p. 1200 C; ἡ κόρη, quae forma vulgo adhibetur.

στρατηγός, ὁ; ἡ per iocum dicitur Arist. eccl. 491. 500. 727; ἡ στρατηγίς Arist. eccl. 835. 870.

C. Nomina simplicia, quae nisi biformia non inveniuntur.

Ex eorum numero, qui permagnus est, exempli gratia afferimus haec: ὁ ἑκυρός, ἡ ἑκυρά Ω 767. 770. Γ 172 etc.; ὁ ἀστός, ἡ ἀστή; ὁ ἑταῖρος, ἡ ἑταίρα; ὁ πενθερός, ἡ πενθερά.

D. Nomina composita.

De his iudicium multo difficilius est, cum permulta horum nominum vim et substantivi et adiectivi habeant, neque ingens numerus eorum facile perspiciatur. Itaque si hoc loco in memoriam revoco, quorum secunda pars est -γαμος, -γονος, -εργος, -κτονος, -λογος, -πλοκος, -ποιος, -πολος, -πομπος, -τροπος, -φορος et aliorum, nescio an multa melius in ordine adiectivorum enumerentur. Cum autem saepenumero fieri non possit, ut disceptetur, utrum vis substantivi an adiectivi prior fuerit, hoc loco de compositis, quibus homines significantur, in universum breve disseremus. Accuratius enim et copiosius de singulorum scriptorum usu disputare posterioribus studiis reservandum est, cum omnia exempla hoc loco conferre longum sit, et quae Lobeckius in paralipomenis collegit nobis non sufficiant. Itaque nunc hanc rem modo adumbrare in animo est. In compositorum nominum numero permulta sunt, quibus affinitas significatur: ὁ ἡ σύγγαμος, σύζυγος, σύνευνος,

σύγγονος, ἐπίκληρος (Thom. M. 138, 7 καὶ ἐπὶ ἀρσενικοῦ καὶ ἐπὶ θηλυκοῦ), ὅμαιμος, alia; multa artificium quoddam et munus dicunt: ἐπίπολος, περίπολος, πρόπολος, πρόσπολος; ἀρτοκόπος pistrix Hdt. I, 51; σιτοποιός, ἡ Hdt. III, 150. VII, 187. Theophr. char. 4, μυλωθρός, ἡ schol. Ar. frg. 258, χοραγός, ἡ Ar. Lys. 1314, ῥαψῳδός, Soph. O. R. 391, ἐπῳδός, Bachm. anecd. I, 235 ἡ ἐπᾴδουσα τοῖς νοσοῦσι παισίν. ἔφορος, ἡ schol. Ar. plut. 64. Aelian. ap. Suid. s. Νέμεσις. ἔποικος, advena ἡ Soph. El. 189; πάροχος socius itineris, ἡ Et. M. 145, 31.

Iam veniamus ad ea, quae partim biformia partim communia sunt. ἀπελεύθερος, ὁ, ἡ; ἡ ἀπελευθέρα Hippocr. ap. Ath. III, 115 B. ἔγγονος, ὁ, ἡ; apud recentiores etiam ἡ ἐγγόνη invenitur, ut Artemid. 4, 69, eodem modo usui sunt δισέγγονος, προέγγονος, προέκγονος. ἔκγονος, ὁ, ἡ λ 236, ἡ ἐκγόνη Eurip. Hel. 1676 (1667). ἐξάδελφος, ὁ, ἡ Lob. Phryn. 306, novissimis temporibus ἡ ἐξαδελφή, Ann. Alex. II, 44 A cf. ἀνδραδέλφη Eust. 392, 1, γυναικαδέλφη Niceph. Greg. VI, 9, 125 A; ἤθεος, ὁ, raro ἡ Eupol. frg. 40, vulgo ἡ ἠιθέη. ἡνίοχος, ὁ, raro ἡ, vulgo ἡ ἡνιόχη Paus. IX, 39, 5. κασίγνητος, ὁ, rarissime ἡ Luc. Philop. 11; plerumque ἡ κασιγνήτη. μαστροπός, leno, lena Liban. t. IV p. 599, 18 ἡ μαστροπίς. σύμμαχος, ὁ, ἡ saepe apud poetas, praeterea Hdt. V, 65. Xen. anab. V, 4, 7; in sermone pedestri saepius ἡ συμμαχίς. σύμβιος, ὁ, ἡ saepe in titulis aetatis christianae, feminae vero inde ab saeculo XIV αἱ συμβίαι dicuntur. cf. CIG. 8769. 9297 etc.

Restat ut pauca afferamus, quibus semper feminae significantur: ἄλοχος, saepe apud Homerum et per totam Graecitatem itemque in titulis scriptum videtur. κακοπάρθενος schol. Eur. Hec. 612. Anth. VII, 468, συμπάρθενος Ael. v. h. 12, 1 p. 105. Byz.

Revocantibus nobis in memoriam, quae de his nominibus explicata sint, haec fere videtur esse ratio: Pauca nomina simplicia in -ος feminas significant, plura communia sunt, quibus tamen in sermone pedestri rarius feminae dicuntur quam apud poetas, maximus est numerus biformium nominum. In compositorum vero turba pleraque communia sunt nonnullis

iam a scriptoribus melioris aetatis nova forma feminina tribuitur, id quod recentioribus temporibus pluribus accidit nominibus, novissimis temporibus, ut Hatzidakis docet, omnibus. Quam rationem, cum accuratius in rem inquisivero, confirmatam et comprobatam fore spero.

2. Bestiae.

ἀγριόχοιρος, ὁ, ἡ (schol. ad Ar. plut. 304).

αἴγαγρος, ὁ, ἡ Oppianus et recentes poetae.

αἴλουρος, Buttm. lexil., cum *γαλῆ* vox subaudiatur, hoc nomen epicoenum solet esse et feminine dici, sed compluribus locis etiam cati eo appellantur, ut Hdt. II, 66 *ὁ αἰέλουρος,* et ibidem *αἰέλουροι θήλεαι καὶ ἄρσενες,* Aesop. fab. 14. 15 *ὁ αἴλουρος.*

ἄρκτος, ἄρκος, ὁ, ἡ Hdt. II, 67; genus femin. etiam adhibetur, ubi universe ursi intelleguntur: Theocr. I, 115; Bacchyl. frg. 15. De sidere *ἡ ἄρκτος, αἱ ἄρκτοι ε* 273. *Σ* 487 etc. Praeterea *ἡ ἄρκτος* voce significatur, quae virgo Athenis a decimo anno Minervae Brauroniae sacrabatur (Ar. Lys. 645).

ἔλαφος, ὁ cervus, *ἡ* cerva, ubi nonnunquam *θήλεια* adiectivum additur. Pind. ol. III, 29; cervus mas distincte notatur adiectivo *κεραός*, vel *ἄρρην* apposito, cf. *Γ* 24 et Hes. s. v.; praeterea *Λ* 475. *O* 271. *Π* 158. *κ* 158 cf. Eust. 1652, 57 vide p. 13. Ubi universe de cervis dicitur sexus ratione non habita plerumque genus femininum adhibetur *N* 102. *Π* 757. *Φ* 486. *ζ* 104 alias, Aesop. fab. 63 sq. 336; genus femininum de cervo masculo ponitur ab Arist. h. a. 1, 5 *αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσι.*

ἔριφος, ὁ; *ἡ* Rhian. Anth. app. epigr. 72.

ἡμίονος, ἡ, raro *ὁ P* 472. *Ω* 278 Bonitz, ind. Aristot. p. 318 b; *ἡ K* 352. *ζ* 88. 317 etc., omnibus his locis universe de mulis dicitur sine sexus nota.

ἵππος, ὁ, equus, *ἡ* equa. Huic quoque nomini saepenumero *ἄρσην* et *θῆλυς* adiectiva adduntur ad sexum notandum, neque vero semper genus grammaticum cum sexu congruit, *E* 269. *ν* 81. *Λ* 681. *δ* 636. Plat. Hipp. mai. 288 B. Apud

Herod. III, 86 opponuntur *ἡ θήλεα ἵππος* et *ὁ Δαρείου ἵππος.* Praeterea a singulis scriptoribus diversa videtur capi ratio. In Homeri enim carminibus etiamsi equae non intellegendae sunt, saepe *ἡ ἵππος* dicitur, ut nonnulli viri docti putant, quod ad belli et currus usum maxime idoneae visae sint equae et quod in gregibus plures equae fuerint equis. Pindarus quoque equis vectariis plerumque genus femininum attribuit. Neque tamen hoc ob eam causam fieri concedam. Apud Hesiodum enim, quibuscunque locis genus cognosci potest, *ἵππος* masculine dicitur (scut. 61. 120. 191. 307. 341. 347. 350), apud tragicos poetas et Aristophanem promiscue *ὁ* et *ἡ ἵππος* adhibetur sine sexus nota, Herodotum videmus saepissime *τὴν ἵππον*, raro *τὸν* dicere, in titulis quoque nonnunquam genus femininum enuntiatur, ubi omnino equi aut equi vectarii intellegendi sunt (Cauer[2] 264 *ἐπιμελετὰν τᾶν ἵππων* cf. Daniel. Bezzb. btr. VI, 271).

Itaque grammaticorum sententiam nescio an melius accipiamus, qui in scholiis annotant poetas saepe, cum universe de bestiis dicant, vel de gregibus bestiarum, genus femininum praeferre masculino, ad quem usum fortasse multum valuerunt nomina epicoena. Cum enim *ἡ ἀλώπηξ* et alia de masculo ac de femina aeque dici possent, *ἡ ἵππος* quoque non solum de equa sed etiam de equo, ab aliis *ὁ ἵππος* de utroque adhibebatur, ubi non multum intererat sexum ipsum significare. cf. schol. *H* 474. schol. Eur. Phoen. 3. Haud scio an interdum apud poetas metrum quoque ut genus femininum usurparetur, alicuius fuerit momenti.

Praeterea *ἵππος* vocem in genere feminino de equitatu dici apud Atticos et Herodotum supra commemoravimus. cf. Aesch. Pers. 313 *χιλίη ἵππος.* Hdt. V, 63. VII, 41 sq. Thuc. I, 62. Iam restat ut afferamus *ἵππος* nomen in genere feminino significare piscem maritimum (Ath. VII, 304 E.) et scorta, quibus saepe bestiarum nomina constat indita esse (cf. Ael. n. a. 4, 11. Arist. h. a. 6, 18).

κάμηλος, ὁ, ἡ. Hoc quoque nomen sine sexus nota frequentatur in genere feminino: Aesch. suppl. 285. Hdt. I, 80.

III, 103. VII, 125, saepissime in Aesopi fabulis (cf. 280 sq. 353 sq.). Praeterea prorsus ut *ἡ ἵππος* dicitur *ἡ κάμηλος* de agmine vel acie camelorum. Etiam apud Romanos camelus communis est; de femina enim Plin. n. h. 8, 18 (26), 67. 11, 37 (62), 164. Apul. met. 7, 14. Vulg. genes. 32, 15. Paul. Nol. ep. 29, 2 invenitur, qui loci nescio an ex usu Graeco repetendi sint; camela de feminino camelo est Val. imp. ap. Treb. Poll. Claud. 14, 3.

Arist. av. 1559 *κάμηλον ἀμνὸν . . ἧς* . ., 1563 *τῆς καμήλου*. schol. *ἔστι γὰρ παμμεγέθης*. Ut camelus de permagno homine adhibetur, ita Blaydesius hoc loco *κάμηλον ἀμνόν* opinatur significare ingentem agnum, sed quos affert testes posteriores sunt.

λύκος, ὁ. Uno loco apud Antonium Liberalem *τὴν λύκον* inveniri docet Stephani thesaurus; recentioris originis est *ἡ λύκαινα* Aristot. hist. an. VI, 35 p. 580 a, 18. Plut. de Rom. fort. 2, metaphorice de Venere Orph. h. Ven. 11.

νεβρός, pullus cervi *ὁ* *O* 579. *ἡ* Eur. Bacch. 867. frg. Polyid. 6 D. Theocr. XI, 40. XII, 6. XIII, 62. Plut. Sert. 11. Moral. 1104 D.

ὄνος, ὁ, ἡ asinus mas et femina cf. Bonitz. ind. Aristot. p. 515 b.

σκύμνος, ὁ, ἡ pullus praecipue leonis. *ἡ* Eur. Or. 1213. 1493.

χίμαρος, ὁ, hircus, *ἡ* capella. *ὁ* Theocr. V, 81. epigr. 4, 15. *ἡ* Ar. equ. 659. Theocr. I, 6 c. schol. epigr. 6, 3.

χοῖρος, ὁ, raro *ἡ* Ath. IX, 375 D. cf. Soph. frg. 217. Hippon. ap. Ath. IX, 375 C. In Aristoph. Ach. 764 sq. aliquoties haec vox feminine dicitur, ubi notio obscoena est, aliis locis Aristophanes semper genere masculino utitur (Ach. 773. 792. eccl. 724 [719]. thesm. 545 [538]. plut. 315 [308]).

In genere feminino dicitur *ἡ ἀμβροτόπωλος* Eur. Tro. 536. cf. Seidleri notam.

Inter aves plurima nomina in *-ος* masculini sunt generis, incerta haec:

γέρανος, ἡ, apud recentiores *ὁ* cf. p. 20.

κορυδός, ὁ, ἡ, ὁ κορυδαλλός, κορύδαλος. schol. ad Ar. av. 302. 472 (475). cf. p. 15. De forma ipsa vide Lob. ad Phryn. 338.

στρουθός, att. *στροῦθος, ὁ, ἡ*, de accentu et genere cf. Herodian. I, 144. *ἡ* *B* 311 sq. Ar. Ach. 1106. *ὁ* Hdt. 1, 159. Sapph. 1, 10.

Quae nomina desinentia in *-ος* pisces significant pleraque generis masculini sunt praeter *ἡ ἵππος* vocem, cf. p. 33.

Praeterea propter generis mutationem nominanda sunt haec:

κόχλος, ὁ concha; genus femininum a recentioribus usurpatum esse supra demonstratum est, cf. p. 17.

σαῦρος, ὁ et *ἡ σαύρα*. Bekk. anecd. p. 64 *Σαῦρος ἀῤῥενικῶς λέγουσι· Θεόκριτος θηλυκῶς εἶπε σαῦρον.*

στράβηλος, cochlea, *ὁ, ἡ*, et *ἀστράβηλος, ὁ* Ath. III, 86 F. *ἡ* Soph. frg. 299, 1.

φρῦνος, bufo, *ἡ* Babr. 28, 6. Aesop. 378, raro *ὁ* Babr. 24, 4; alibi *ἡ φρύνη*, cf. Curt. etym.[5] p. 303.

Non parvi videtur esse momenti, quod multarum bestiarum nomina cum terminatione genus mutant sine ullo saepe notionis discrimine (cf. Lob. prol. path. p. 31) *ὁ σμίνθος, ἡ σμίνθα* Hes.; *ἀερσιπότητος ἀράχνης* Hes. opp. 775, cf. Hes. *ἀράχνου ἀπ᾽ εὐθείας ὁ ἀράχνης Αἰσχύλος Λαΐῳ, ὁ ἄραχνος* Aesch. Suppl. 886 Dind. viris doctis suspectum, *ἡ ἀράχνη* Aesch. Ag. 1492 Dind. et recentiores; *ὁ χάννος, ἡ χάννα* piscis; *ὁ κάλανδρος, ἡ καλάνδρα*; *ὁ κίκυμος, ἡ κικυμίς* Call. frg. 318 Hes.; *ὁ κίρκος, ἡ κίρκη* et multa alia.

Videmus igitur, quantopere in his nominibus terminatio et genus in universum inter se conveniant. Interdum autem motione non diversus sexus animalis sed diversa species declaratur. Aelianus enim in h. a. IV, 5 dicit *κίρκη πρὸς κίρκον οὐ τῷ γένει μόνον ἀλλὰ καὶ τῇ φύσει διαφέρει.*

II. Nomina quibus plantae et arbores significantur.

Horum substantivorum numerus cum tantus sit ut omnia enumerari vix possint, sufficiat explicare et nonnullis exemplis

illustrare, quae ratio ac via arbores et plantas nominandi apud veteres fuisse videatur.

In lingua Graeca plantis et arboribus omnino certum genus non tribuitur, sed terminatio in universum norma et regula generis videtur esse. Itaque non miramur, quod substantiva primae declinationis in genere feminino, quae sunt in *-ον* in neutro genere ponuntur. Ea nomina, quae sunt in *-ος* aut genus masculinum aut femininum exhibent, nec desunt, quae in utroque genere usurpentur, genus autem femininum usitatissimum est. Itaque fortasse licet opinari etiam in plantarum nominibus principio quodvis genus usurpari potuisse, deinde genus femininum magis magisque invaluisse, ut hoc genus quasi proprium esse plantarum putaretur, quod nescio an ex his grammaticorum testimoniis eluceat: schol. Ar. Ach. 229 *παρατηρεῖν δὲ δεῖ, ὅτι ἀρσενικῶς λέγουσι τὸν σχοῖνον.* schol. Ar. av. 620 *ταῖσι κομάροις· οτι τὰς μὲν κομάρους θηλυκῶς φησιν, ἀρσενικῶς δὲ τοὺς κοτίνους· εἴδη δὲ δένδρων ταῦτα.* Bekk. an. 56 *ὀρίγανος· θηλυκῶς ἡ ὀρίγανος*, quod fortasse grammaticus profert, quia nonnunquam dicebatur *ὁ ὀρίγ.* Ion. ap. Ath. II, 68 B. Et. M. 630, 48.

Agedum videamus, qui fieri potuerit, ut tanta diversitas exsisteret. Atque primum quidem facile intellegitur in his nominibus quam dicimus analogiam permultum valuisse.

Cum enim plantae saepissime nomen a specie corporis naturaeque indole, a colore et odore acciperent, facile fiebat ut nomini *ἡ βοτάνη*, *ἡ δρῦς* adderetur adiectivum, deinde ut substantivum, cum supervacaneum esset, omitteretur. Talia sunt exempli gratia *ἡ τρίφυλλος* (Diosc. II, 177. Hes. s. v. *ὠκύθοον*), *ἡ κάπνιος* (Galen.), *ἡ χάλκειος*. Praeterea nomina aliarum rerum saepe ad plantas et arbores translata sunt, quarum formae illis similes videbantur esse. Quod cum fieret discernendi causa nonnunquam genus mutabatur, quo effectum est, ut multa nomina in *-ος* genus femininum acciperent. Deinde a viris doctis, qui de plantis libros composuerunt, saepe nova nomina plantis indita esse cognovimus, qui viri plerumque analogia ducti sunt. Cum autem ab antiquissimis temporibus

utrumque genus eorum nominum, quae secundae declinationi ascribuntur, etiam in ordine plantarum pateret, quod apud Dioscoridem, Galenum, in Geoponicis maxima perturbatio est, non miramur. Recentissimis vero temporibus usque ad nostram aetatem his nominibus idem accidit, quod ceteris femininis secundae declinationis. Fraasius enim in synopsi plantt. flor. class. exposuit hodie apud Graecos nomina in *-ος* de plantis rarissime usurpari, immo vero plerumque mutatam esse terminationem. Ex omnibus, quae adhuc in Graecia inveniuntur plantis secundum Fraasium hae tantum formam servarunt: *σχῖνος*, *φλόμος*, *καπνός*, quae planta etiam *καπνιά* dicitur, *μάκος*, *ἄγριος κρόκος*, *ἄγριος κρίνος*. Ceterarum nomina valde immutata sunt. Itaque exempli causa pro *πυξός* forma nunc *πυξάρι*, pro *σφένδαμνος σφένδαμνι*, pro *κισθός ἥμερο κίσταρι* et alia huius generis dicuntur.

In lingua Latina videmus rem similem in modum se habere atque apud Graecos (cf. Neue I², 621 sq.). Vetustioribus autem temporibus plura in genere masculino dicta videntur esse, quam postea. Cupressus enim apud Ennium masculini fuit generis (Gell. XIII, 20 [21], 13. Non. p. 195). Praeterea voces *laurus*, *pinus*, *platanus*, *populus*, quae in nostris libris semper feminine usurpantur, prioribus temporibus etiam in genere masculino positas esse docent Donat. 2, 4, 2 p. 1747. Prisc. 5, 8, 42 p. 658. Promiscue dicuntur praeterea: *amaracus*, *carbasus*, *centunculus*, *crocus*, *cytisus*, *lapathos*, *lotus*, *pampinus*, *raphanus*, *rubus*; in genere masculino: *acanthus*, *aspalathus*, *asphodelus*, *calamus*, *carduus*, *intubus*, *iuncus*, *muscus*, *rhamnus*, *scirbus*, *tibulus*. Cognoscimus igitur linguam Latinam non repugnare opinioni principio arboribus et plantis secundae declinationis genus masculinum attributum fuisse, paullatim ex analogia *arbor* et *planta* vocis genus femininum saepius adhibitum esse.

Nunc quid sit discriminis inter arbores et fructus paucis explicemus (Lob. prol. path. p. 76 sq.). Nonnunquam enim constat fructum et arborem nominibus ex diversa radice procreatis significari, ut *ἄμπελος*, *βότρυς*, *δρῦς*, *βάλανος* distinguuntur, pleraque arborum et fructuum nomina sunt eadem. Sufficiat

hos afferre testes: Eust. p. 653, 54 *ἡ ἀγρία συκῆ καὶ ὁ καρπὸς ὡς ἐλαία καὶ τὸ φυτὸν καὶ ὁ καρπός.* schol. Nic. ther. 379 *ἄρκευϑος τὸ δένδρον καὶ ὁ καρπός.* Gal. de succ. prob. c. 4, 779 T. VI *τῶν φοινίκων τὸν καρπὸν οἱ Ἕλληνες ὁμωνύμως τῷ δένδρῳ, τινὲς δὲ τῶν νεωτέρων ἰατρῶν φοινικοβαλάνους* [1]. Alia nomina genus et terminationem mutant cum notione. schol. ε 281 *ἐρινόν οὐδετέρως ὁ καρπός* [2], *τὸ δὲ ἀρσενικῶς λεγόμενον ἐρινός τὸ δένδρον σημαίνει, ὥσπερ ἡ κέδρος ϑηλυκῶς τὸ φυτὸν, τὸ δὲ κέδρον οὐδετέρως τὸν καρπόν, κτλ.* cf. Eust. p. 1536, 15. Galen. de simpl. med. VIII, 14 p. 87 T. XII; eodem modo *ἡ προῦμνος, τὸ προῦμνον; ἡ κερασιά, τὸ κεράσιον; ὁ, ἡ πρῖνος, τὰ πρῖνα; ὁ, ἡ κόμαρος, τὸ κόμαρον; ἡ ἄπιος, τὸ ἄπιον.* Arborem genere feminino, fructum masculino significant haec: *ἡ κόκκος, ὁ κόκκος* (cf. Friedemannus ad Strab. p. 610), *ὁ, ἡ ῥοῦς*, arbor; fructus semper masculine dicitur. Ammon. p. 81 *κέδρος· ϑηλυκῶς μὲν τὸ δένδρον, ἀρσενικῶς δὲ ὁ καρπός. ὁ κῶνος,* conus abietis et pinus, tum de arbore *ἡ κῶνος* dicitur. cf. Plut. Mor. 640 C. Anth. Plan. I, 13. Nicl. ad Geopon. 11, 1 p. 787 B coniecit *ἡ στρόβιλος* dici de arbore, *ὁ στρόβιλος* de fructu, sed infirmo nititur argumento (Diosc. I, 18 *ὁ τοῦ στροβίλου φλοιός,* ubi codd. *τῆς*). In Plut. symp. 3, 2 p. 648 D, 5, 3 p. 676 A genus *στρόβιλος* vocis de arbore usurpatae non cognoscitur.

Quod denique nonnulli grammatici nobis tradiderunt etiam accentu mutato fructum et arborem distingui (Thom. M. 393 *κερασός τὸ δένδρον, κέρασος ὁ καρπός*), et certi testes nobis desunt, et usus horum nominum iis praeceptis repugnat.

---

1) Semihomonyma quae dicit Lobeckius nescio an magis ex grammaticorum praeceptis spinosis et nimia arte factis, quam ex usu vulgari emanarint; Bachm. anecd. II, 379 et Ammonius tradunt *ῥοιά* de arbore, *ῥοά* de fructu scribi, eodem modo Suidas *ἐλαίαν* separat a voce *ἐλάα.*

2) Idem est in lingua Latina discrimen inter arborem et fructum: *arbutus, arbutum; cerasus, cerasum; citrus, citrum; cornus, cornum; malus, malum; pirus, pirum;* nonnulla nomina primae et secundae declinationis eadem forma dicunt arborem qua fructum: *castanea, olea, balanus, caprificus, ficus.* De fructu ficus in gen. masc. Lucil. ap. Non. p. 281. Cels. V, 18, 3, 2. Plin. 15, 23, 15 *balanos Sardanios.*

Quod si de genere eorum substantivorum scriptores spectamus, apud Homerum nonnullorum genus cognosci non potest: *ἄχερδος,* ξ 10; *βάτος,* ω 230; *κέδρος,* ε 60; *κυπάρισσος,* ε 64, ubi schol. Pal.: *εὕρηται ὁ αἴγειρος καὶ ὁ πρῖνος, τὸ δὲ κυπάρισσος μόνον ϑηλυκῶς; σχοῖνος* ε 463 cf. Suid. s. v. *λέγεται δὲ ἀρσενικῶς.*

Alia nomina certe feminine dicuntur: *αἴγειρος,* Δ 482. η 106. κ 510; *ἄμπελος,* ι 110; *βάλανος,* ν 409 (κ 242?); *φηγός,* alia. Generis masculini sunt: *κρόκος,* Ξ 348; *λωτός,* Ξ 348. δ 603; *ὑάκινϑος,* Ξ 348. h. Hom. 19, 25. h. Cer. 7 et alia.

Ex iis, quae apud vetustiores scriptores in genere masculino ponuntur, praeterea haec conferam:

ἀσφόδελος, Hes. opp. 41. Theophr. h. pl. 1, 10, 7. Theocr. 26, 4. *ἐρέβινϑος,* Sapph. frg. 30. Ar. ran. 545. *ἐρινεός, ἐρινός,* X, 145. μ 103 etc. cf. schol. ε 281. *ϑέρμος,* Alexis ap. Ath. II, 55 C. Theophr. *κίσϑος, κίστος* Theophr. h. pl. VI, 2, 1. Theocr. V, 131. Ath. IX, 403 D. Hes. s. v. *κίσϑος. κότινος,* Ar. av. 621. plut. 586. 592. Theophr. h. pl. 4, 14, 12. *κύαμος,* N 589 etc. *κύπειρος, κύπερος,* Hdt. IV, 71. Theocr. 13, 34. Plut. Mor. 383 E. Hom. h. Merc. 107. Theophr. h. pl. 1, 10, 5. 4, 10, 6 (*ἡ* Diosc. 1, 4). *λωτός,* Ξ 348. δ 603 etc., fortasse vocabulum Aegyptium est. *μάραϑος* et *τὸ μάραϑον,* Nic. ther. 596. 893. *ὄλυνϑος,* Hes. frg. 14. Hdt. I, 193. *πυρός,* Theophr. h. pl. 4, 9, 6. 8, 4, 3 etc. *σφάκος,* Ar. thesm. 486. Eupol. ap. Plut. Mor. 662 E. *σῖτος,* omnibus fere temporibus; *τάξος,* Gal. Hes. *τιϑύμαλος,* Ar. eccl. 405 etc. *φελλός,* Theophr. h. pl. 1, 2, 7. 5, 2, 4 etc.

Maior etiam numerus eorum nominum masculinorum est, quae apud recentiores demum scriptores inveniuntur et saepe plantas significant, quarum notitia Graecis extrinsecus allata est (cf. Fraas. synops. plant. fl. cl.).

Multa praeterea nomina inde a priscis temporibus in utroque genere ponuntur, neque vero ullum discrimen videtur subesse.

ἀσπάλαϑος, ἡ Pherecr. ap. Ath. XV, 685 B. Theophr. de od. 33. Phryn. in Bekk. an. 10 *ἀσπάλαϑος· Κλέανδρος ϑη-*

λυκῶς, Ἀριστοφάνης ἀρσενικῶς. ἄχερδος, ἡ Soph. O. C. 1592 (1596). Bekk. an. 475, 10. Alc. Mess. Anth. P. VII, 536, 3. ὁ Theocr. 24, 88. ἔβενος, ἡ Theophr. h. pl. 1, 5, 4. 5. 1, 6, 1. 9, 20, 4. ὁ Eust. 362, 4. 891, 1. κισσός, ὁ Theocr. I, 30. ἡ Theocr. XXVI, 4. ep. 3, 4. κόμαρος, ἡ Ar. av. 620. Amphis ap. Ath. II, 50 F. ὁ Theophr. ὀρίγανος, ὁ, ἡ et τὸ ὀρίγανον Et. M. 630, 48. ἡ Ar. eccl. 1030. Clearch. ap. Ath. III, 116 E. Diosc. 3, 32. ὁ Ion ap. Ath. II p. 68 B. Anaxandrides in Et. M. 630, 48. Eustathius p. 1148 utrumque genus adhibet. πρῖνος, ὁ Ar. ran. 859. Amphis ap. Ath. II, 50 F; apud Theophrastum etiam genus femininum invenitur. ῥοῦς, ὁ, ἡ promiscue usurpatur. ὑάκινθος, ὁ Ξ 348. Hom. h. Cer. 7. 426. Theocr. XVIII, 2 cf. Verg. Georg. IV, 183. Paus. I, 35, 4. ἡ Sapph. frg. 94. Theocr. X, 28 c. schol. XXV, 21. Naum. ap. Stob. floril. III, 53, 5 (Meinek.) et apud poetas recentiores.

Discrimen temporum nescio an de aliis nominibus observari possit. κύτισος, ὁ Hippocr. Theophr. h. pl. 4, 4, 6. 4, 16, 5. 5, 3, 1. c. pl. 5, 15, 4. ἡ Theocr. X, 30. νάρκισσος, ὁ Hom. h. Cer. 8. 428. Diosc. ἡ Theocr. I, 133 cf. Verg. Ecl. V, 38 purpurea narcisso. Anth. P. app. epigr. 120, 3. schol. Theocr. I, 133 annotat ab Aristophane genus masculinum usurpatum esse. πάπυρος, ὁ Theophr. h. pl. 4, 8, 2. 3. 6, 3, 1. Genus femininum apud christianae demum aetatis scriptores videtur inveniri praeterquam quod ἡ πάπυρος aeque atque ἡ βύβλος dicitur. πύξος, ἡ Arist. de mundo 6. Theophr. h. pl. 3, 15, 5. 5, 3, 1. Nic. ther. 516 πύξον Ὠρικίοιο, schol. καὶ πολλὴ πύξος αὐτόθι γίγνεται; ὁ apud recentiores schol. Ap. Rh. II, 941. ῥάχος, ἡ Xen. cyn. 10, 7. ὁ Paus. II, 32, 10. Et. M. 703, 1. Eust. 1540, 20. στρύχνος, ὁ Theophr. h. pl. 7, 5, 4 τὸ στρύχνον Diosc. 4, 72. Eust. 1390, 53 ex Aelio Dionysio affert genus femininum Atticorum usu receptum esse. cf. Phot. et Etym. τρύχνος ἡ πόα· θηλυκῶς λέγουσι τὴν τρύχνον οὐ τὸν τρύχνον, σὺν δὲ τῷ σ στρύχνον οὐδαμοῦ εὗρον. σχοῖνος, ὁ Batrach. 255. Ar. Ach. 231. Theocr. I, 53 c. schol. Suid. II, 2, 1012 λέγεται δὲ ἀρσενικῶς. Postea circiter a Theophrasti aetate ἡ σχοῖνος. Poll. X, 92. schol. Ar. Ach. 230 παρατηρεῖν δὲ δεῖ ὅτι

ἀρσενικῶς λέγουσι τὸν σχοῖνον. Haec vox ubi funem significat dicitur ὁ Theocr. XXIII, 39 (Valckenarius genus femininum restituit), ἡ Orph. Arg. 269; etiam de mensura utrumque genus usurpatur: ὁ Hdt. II, 6. ἡ Callim. ap. Plut. Mor. 602 F. Ath. III, 122 A καὶ τὴν σχοῖνον ἢ τὸν σχοῖνον. φηγός, ἡ vulgatum, sed uno loco Strabo (XIII, 598) dicit καὶ ὁ φηγὸς κτλ. Eustathius, qui p. 653, 49 Strabonis verba affert, dicit ἡ φηγός.

Hoc loco praeterea congerenda sunt nonnulla nomina, quibus et partes arborum et quae arboribus plantisque procreantur, significantur:

ἄγνος, vitex. schol. ι 427 ὁ δ' ἄγνος λέγεται παρ' Ἀττικοῖς ἀρσενικῶς, ὁ Plat. Phaedr. 230 B. Ael. Dionys. ap. Eust. p. 1638, 11 cf. Suid. s. v. ἡ Plut. Symp. 2, 72 p. 641 D. Geopon. 2, 4. Paus. III, 14 p. 242.

ἄκυλος (κ 242?), ἡ Theophr. h. pl. III, 16, 3. Theocr. V, 94.

βάλανος, ἡ Hom. etc., apud recentissimos etiam ὁ invenitur. Et. M. semel p. 186, 10 ἡ βάλανος, p. 538, 22 ὀπτοὺς βαλάνους, p. 185, 53 βαλανάγρα· ἡ κλεὶς παρὰ τὸ ἀγρεύειν τὸν βάλανον, p. 753, 56 ὁ βάλανος de glande virili; Poll. I, 244 οἱ βάλανοι correctum est in αἱ βάλανοι. Synes. de febr. p. 94 βάλανοι λαμβανόμενοι. Zonaras c. 372 τὸν βάλανον.

ἡ βίβλος[1]), proprie liber papyri (ἡ βύβλος CIG. 3311).

βύσσος, ἡ Steph. B. s. v. Βυσός. Lini est quoddam genus apud Indos.

θάμνος, ὁ densus fruticibus locus, arbustum, ἡ Diod. Sic. II, 49 et cod. Mediol. ap. Themist. Or. 11 p. 150 C, quod viris doctis suspectum erat, cum apud eundem 22 p. 272 C τοὺς θάμνους inveniretur.

λύγος, ἡ ι 427, Eur. Cycl. 224 etc., raro ὁ Eust. 834, 33 cf. Iacobs. observ. critt. in Anth. Gr. p. 26 sq. Apud Agathiam ep. 85, 2 λεπταλέοις ... λύγοις, ubi membrana exhibent λεπταλέαις, quanquam vulgatae Planud. et Suid. t. II, 540 patrocinari videntur.

1) schol. Eur. Hipp. 408 ἐν τῷ μονοβίβλῳ nominativum τὸ μον. requirit, ὁ μονόβιβλος ap. Reitz. ad Theophilum vol. II p. 1237 sec. Steph. thesaurum.

νάρδος, ἡ oleum Antiphil. Anth. P. VI, 250, 6.
ῥάβδος, ἡ M 297, *ω* 2 etc.

Nomina *ἡ δοκός* quoque et *ἡ δέλτος*, quod Buttmannus commendat, analogiam plantarum secuta esse non tam consentaneum videtur esse.

III. Nomina urbium, insularum, terrarum.

Ex urbium quoque, insularum terrarumque nominum, quae secunda declinatione continentur, ingenti numero liceat pauca afferre, ex quibus intellegatur, quae via ratioque fuerit eas nominandi. Genus vero horum substantivorum ut accurate cognoscatur saepenumero fieri non potest, cum articulus nominibus urbium plerumque desit et nisi adiectivis appositis genus non significetur. Itaque tituli nos prorsus deserunt, nam inter tot nomina vix decies genus declaratur. Scriptores vero, praecipue recentiores, non semper idoneos esse, quibus fidem habeamus, facile intellegitur. Qui non solum de forma et genere inter se discrepant, quin etiam idem eandem urbem diverso genere vel diversa forma dicit. Quod cum fit in nominibus barbaris non est cur miremur, cum fit in nominibus Graecis intellegimus a priscis temporibus analogia genus urbium et terrarum immutatum esse.

Atque de origine quidem horum nominum constat permulta non e lingua Graeca exstitisse, quanquam iure Angermannus Kiepertum impugnat, qui dixerit vix plura viginti nominibus urbium Graeca esse. Sane quidem de multis vocibus semper erit dubitatio.

In tanta mole et turba non ignoramus plerumque genus femininum adhiberi, quod cum multa nomina huius ordinis primae ascribantur declinationi, nihil habet offensionis. Atque etiam, quod plurima eorum, quae sunt in *-ος*, et quae referuntur ad tertiam declinationem, in genere feminino ponuntur, id per analogiam [1]) videtur factum esse. *Πόλις* enim vox non

1) In nominibus urbium analogiam maximi esse ponderis testis est lingua Germanica cf. Grimm. gr. Germ. III, 419 sq. Miklos. gr. Slav. IV p. 24.

solum eorum vocabulorum, quae proprie vim adiectivi habebant genus constituit, sed etiam ad alia feminine significanda multum valuit. Neque vero unquam defuerunt nomina urbium in *-ος*, quae masculina essent, neque ea quae in utroque genere promiscue ponerentur. In hoc autem usu aliquid prisci servatum esse, nescio an compluribus argumentis confirmari possit.

Ut enim nominum tertiae declinationis quoque hoc loco rationem habeamus, multa sunt, ubi voces *τόπος, χῶρος, κολωνός, λιμήν, πύργος* subaudiuntur, non *πόλις*, quae masculina esse consentaneum est. Itaque ea in *-οῦς, -οῦντος*, quae proprie adiectiva sunt, describunt regionem (*τὸν τόπον*), quae plantae genus profert et alia [1]): *ὁ Ἐλαιοῦς* Hdt. VI, 140. Thuc. VIII, 102. *ὁ Ἁλιοῦς* Strab. IX, 432. *ὁ Ῥιζοῦς* Strab. IX, 443. *ὁ Δαφνοῦς* Strab. VIII, 416. *ὁ Σχοινοῦς* Strab. III, 160. *ὁ Ὑδροῦς* Steph. B. *ὁ Φλιοῦς* Xen. Hell. VII, 2, 11 alia. Deinde cum prima notio noniam prorsus intellegeretur, etiam genus femininum usurpatum est, ut *Ἀμαθοῦς, ἡ* urbs Cypri Hdt. V, 105. Strab. XIV, 683; *Ὀποῦς, ὁ* Strab. IX, 425, *ἡ* Pind. ol. IX, 14; *Σελινοῦς, ἀρσενικῶς καὶ θηλυκῶς λεγομένη* Steph. B. s. v. *Ἀκράγαντες, ὁ* Diod. Sic. XIII, 63, *ἡ* XIII, 43. 59; *Σιδόεις, ἡ* Euphor. vel Arch. ap. Ath. III, 82 A. In his nominibus principio *πόλις* vocem non subauditam esse inde elucere mihi videtur, quod ea adiectiva, quae ope suffixi *-ϝεντ-* (cf. ind. *-vant-*) formata sunt, a priscis temporibus trium fuerunt terminationum, et ex iis adiectivis alia nomina derivata sunt, ubi *πόλις* vox subaudiebatur: *ἡ Αἰγιρόεσσα* (*Αἰγιροῦσσα*) Hdt. I, 149, *ἡ Αἰγοῦσσα*, insula Steph. B. Pol. I, 60, 4. *ἡ Γονόεσσα B* 573. Paus. II, 4, 4. V, 18, 7. Hesych. *ἡ Θρυόεσσα Λ* 311, *ἡ Φοινικοῦσσα*, insula Aeolica Strab. VI, 276, *ὁ Φοινικοῦς*, nomen complurium portuum est Thuc. VIII, 34. Paus. IV, 34. Steph. B. Talia exempla facile permulta enumerantur. Praeterea in tertia declinatione inveniuntur masculina in *-εύς* desi-

1) Steph. B. s. v. *Συκαί· οἱ τόποι ἀπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς ὄντων ὀνομάζονται Κυπάρισσος, Ἐλαία κτλ.* cf. Lob. prol. path. p. 64.

nentia: *ὁ Ἐρινεύς, Πανοπεύς* (*ἡ Πανόπη* Steph. B.), *Πειραιεύς, Πνιγεύς* et pluralia tantum: *οἱ Ἐταιεῖς, Καρσεῖς, Ναυβολεῖς* etc. Suffixum *-εύ-ς* scimus proprie personis et generi masculino convenire et licet conicere his vocibus, quibus saepe adiectivi vis erat, regionem et in numero plurali incolas significatos esse [1]). Itaque nonnunquam incolae eadem forma nominantur, qua urbs: *οἱ Ἐταιεῖς* Steph. B. ap. Herodot. VIII, 35 *ἡ Πανοπέων πόλις* aeque atque *ὁ Πανοπεύς* *P* 307 et alia. Restant singula, quorum genus ambiguum est: *Λέων, ὁ, ἡ*; *Τάρας* (Thuc. VI, 104. Strab. VI, 265. Steph. B. s. v. *ἀρσενικῶς κατ᾽ ἀναλογίαν· οὐδὲν γὰρ εἰς -ρας θηλυκὸν εὑρίσκεται· τοῦτο δ εὕρηται καὶ θηλυκῶς*. Melius fortasse dicimus in hoc nomine genus masculinum diutius servatum esse, cum aliae voces in *-ρας* masculini essent generis, donec per analogiam aliarum urbium genus femininum irrepsit.) *ὁ Ἄδρυξ*, Steph. B. *ὁ Μαραθών* (*ἡ* Pind. ol. XIII, 157), quod genus etiam alia substantiva in *-ών* exhibent, quibus loca significantur, quae abundant aliqua re: *ὁ οἰνών, ὁ ἀνδρών, ὁ παρθενών*; *ὁ Μαραθών* enim locus est ubi multum feniculum invenitur. Unde hauserit Thomas M. (242, 5) *ἀρσενικῶς οἱ Ἀττικοὶ τὸν Μαραθῶνα λέγουσιν, Ἴωνες δὲ θηλυκῶς*, incertum est. In utroque genere ponuntur ex iis quae exeunt in *-ών*: *ὁ Σικυών* Xen. Hell. IV, 2, 14. 5, 12. VII, 1, 44, *ἡ* Strab. VIII, 382. *Κρομμυών, ὁ* Thuc. IV, 42. Strab. IX, 390, *ἡ* Strab. VIII, 380, in feminino genere: *ἡ Βαβυλών, ἡ Καλυδών, ἡ Πλευρών*.

Iam veniamus ad nomina secundae declinationis, quae dividuntur in partes tres. Iis enim, quae sunt in *-ον*, neutrum genus attribuitur, de iis, quae sunt in *-οι*, infra dicendum erit, longe maxima pars terminatur in *-ος*, quae nomina pleraque feminina sunt.

Atque quaerentibus nobis, quomodo haec substantiva genus femininum acceperint, responsum non facile datur, quanquam nonnulla argumenta afferri possunt, quibus si non demonstratur

---

1) Cf. terrarum nomina in lingua Germanica: *Sachsen, Schwaben Franken*, et in l. Latina: *Ubii, Samnites* etc.

omnia haec nomina a principio fuisse masculina, attamen id illustratur et explicatur ad ea feminine significanda analogiam plurimum valuisse.

Atque primum quidem etiam in hoc ordine permulta adiectiva sunt, quae omissa voce *πόλις* substantivi vim assecuta sunt. Deinde recte Fickius (gr. personennamen p. 44) admonet in lingua Graeca plerumque nomina breviora, quae dicimus deminutiva vel hypocoristica orta esse e nominibus plenis id est compositis. Itaque non solum multa nomina personarum sed etiam urbium et insularum facile intelleguntur, quae adhuc obscura erant. Secundum ea enim nomina ut *Πελοπόννησος, Μυόννησος, Ἑκατόννησοι* conicimus etiam *Ἄνδρος, Δῆλος, Πάρος*, alia nomina prius usurpata fuisse in forma *Ἀνδρόννησος, Δηλόννησος, Παρόννησος*. Deinde neglecta altera parte formae *Ἄνδρος, Δῆλος, Πάρος* exsistebant eodem modo, quo in nostra lingua *Cöln* e Colonia Agrippina, *Trier* e Colonia Trevirorum, *Leyden* e Lugduno Batavorum.

Quod si Fickius dicit multas urbes a viris et diis nominatas esse, quanquam prorsus negari non potest, tamen cavendum est, ne in eundem incidamus errorem atque veteres grammatici, qui multi erant in nominibus urbium hunc in modum explicandis (cf. Steph. Byz.). Sed etiamsi iis grammaticorum praeceptis non ita multum fidei habeamus, tamen non omni carent auctoritate, praesertim cum dicant urbi vel insulae cuidam ab aliquo viro novum nomen inditum esse; cf. Steph. B. s. v. *Κάληρος· οὕτω ἐκαλεῖτο ἡ Ἀλωπεκόννησος ἀπὸ Καλήρου βασιλέως*.

Et quocunque modo res se habet, id certe tenendum est, saepenumero nomina urbium congruere cum nominibus virorum, praeterquam quod urbibus genus femininum attributum est. Praeter genus nonnunquam etiam accentus mutatur ad distinguendum virum et oppidum: *ὁ Κίσσος, ἡ Κισσός*; *ὁ Ἰάλυσος, ἡ Ἰαλυσός*; *ὁ Φέλλος, ἡ Φελλός*; cf. Steph. B. s. v. *Φαιστός*. Neque vero saepe hoc discrimen invenitur. Rarius etiam forma ipsa mutatur: *τὸ Βουφάγιον*, quod oppidum situm erat ad flumen *ὁ Βούφαγος*, Paus. VIII, 26, 8; *ἡ Βεύη*, sita ad

flumen *ὁ Βεῦος*, Steph. B., *τὸ Παρθένιον*: *ὁ Παρθένιος*, *τὸ Μεταπόντιον*: *ὁ Μεταπόντιος*; *τὸ Τίβισκον*: *ὁ Τίβισκος*. Quod si quis neget ex eo consensu conici posse urbem a viro nominatam esse, non multa quae opponamus habemus, cum certa nobis desint testimonia priscorum temporum.

Praeterea iam supra commemoravimus ex situ saepe oppida appellata esse, neque solum nomina montium et fluviorum, ad quos sita erant, sed etiam rerum et partium corporis humani nomina ad oppida translata sunt. Quod ubi factum est, diversas videmus rationes capi. Forma enim et accentus aut manent aut mutantur, genus aut congruit cum genere eius vocis, aut mutatur. Hunc in modum permagnum numerum femininorum secundae declinationis in lingua Graeca exstitisse facile intellegitur.

Quin etiam, cum scriptores Graeci nomina Latina transscriberent, saepe, analogia perducti, *-ος* positionem praetulerunt. *Κόρνικλος* Steph. B., *Κορνίκολος* Dion. Hal. 3, 50 Corniculum; *ἡ Πραίνεστος*, *Πραινεστός*, *τὸ Πραίνεστον*, raro *τὸ Πραινέστε* Praeneste, Dion. Hal., Strab., Suid.; *Πριούερνος*, Steph. B., *Πρίβερνον* Strab. V, 237 Privernum; *Σάγουντος*, Steph. B. Strab. III, 159, alibi *τὸ Σάγουντον*, Saguntum, quod etiam apud scriptores Latinos raro dicitur Saguntus. Liv. 21, 19, 1. Iuv. XV, 114. Plin. 3, 3, 4. *Τύσκλος*, Steph. B. Tusculum, praeterea adhibentur formae *Τοῦσκλον*, *Τουσκλάνον*, *Τύσκλον*, *Τύσκλανον*. In numero plurali sequuntur analogiam secundae declinationis diversa ab usu Latino *οἱ Οὐερκέλλοι*, Vercellae Strab. V, 218; *οἱ Ὄκρικλοι*, Ocriculum Strab. V, 226. 227; *οἱ Κήριλλοι*, Cerillae, Strab. VI, 255. Itaque cum nonnullis argumentis explicaverimus, quomodo tanta moles nominum urbium in *-ος* desinentium exsistere posset, multum abest ut singula nomina declarare velimus. Attamen nonnulla exempla afferemus, quibus quae exposuimus, etiam confirmemus, et in ordines quosdam placet nomina urbium distribuere, quae a vulgari usu abhorrent.

Quae priusquam explicemus, pauca praemittenda videntur esse, quomodo Homerus his nominibus usus sit. Eustathius

enim p. 307, 31 *Ζάκυνθος δὲ λέγεται μὲν καὶ ἀρσενικῶς καὶ θηλυκῶς*, contrariam vero sententiam explicat p. 1643, 46 *τὸ δὲ ὑλήεσσα Ζάκυνθος ὡς καὶ τὸ ἠγαθέη Πύλος θηλυκοῦ γένους εἶναι δηλοῖ τήν τε Ζάκυνθον καὶ τὴν Πύλον, ὥστε καὶ ἐν τῷ ‛Πύλου ἠμαθόεντος’ καὶ ἐν τῷ ‛ὑλήεντι Ζακύνθῳ’ οὐδέν τι κωλύει ταῖς νήσοις ταύταις τὸ θῆλυ γένος φυλάσσεσθαι.* Idem sentit de Epidauro Steph. B. s. v. *Ἐπίδαυρος· μετὰ ἀρσενικοῦ ἐπιθέτου θηλυκόν*, et Ameisius ad *α* 93 *ἐς Πύλον ἠμαθόεντα*: Homerum quae adiectiva exeant in *-όεις*, *-ήεις* etiam de nominibus generis feminini usurpare in forma masculina, sed ante nomina propria tantum urbium et insularum. Habemus enim haec exempla Homerica: *ποιήενθ’ Ἁλίαρτον* *Β* 503; *ἀμπελόεντ’ Ἐπίδαυρον* *Β* 561; *ὑλήεντι Ζακύνθῳ* *α* 246 cf. *π* 123. *τ* 131; *ἀργινόεντα Κάμειρον* *Β* 656; *ἀργινόεντα Λύκαστον* *Β* 647; *ἐς Πύλον ἠμαθόεντα* *α* 93, cf. *β* 214. 359. *λ* 257. 459. *Β* 77. *Ι* 153. 295. *Λ* 712; *Πύρασον ἀνθεμόεντα* *Β* 695; praeterea coniuncta cum adiectivis in *-ος* haec nomina: *ἀφνειόν τε Κόρινθον* *Β* 570; *Ὄγχηστόν θ’ ἱερόν* *Β* 506; *Ὀρχομενὸν Μινύειον* *Β* 511 cf. *λ* 284 etc.; *Πύλον Νηλήιον* *Λ* 682 cf. *δ* 639 etc.

Qui his locis masculinam formam de genere feminino usurpari contendunt, nituntur etiam eo facto, quod nonnullis locis cum nominibus primae declinationis adiectivum commune componitur, ut *Β* 742 *κλυτὸς Ἱπποδάμεια*; *δ* 709 *πουλὺν ἐφ’ ὑγρήν*; *ε* 467 *θῆλυς ἐέρση*; *δ* 406 *πικρὸν .. ὀδμήν* et alia. Sed hac in re diversissima confunduntur [1]), ut iis formis argumento uti non liceat. Iis vero Homeri locis masculinam positionem pro

1) *πουλὺν ἐφ’ ὑγρὴν* *Κ* 27. *δ* 709; *ἡδὺς ἀϋτμή* *μ* 369; *θῆλυς ἐέρση* Hes. scut. 395; *Ἥρα θῆλυς ἐοῦσα* *Τ* 97; *ὄϊν θῆλύν τε μέλαιναν* *κ* 527 cf. *ζ* 122. Eurip. Med. 1084; Theocr. XX, 8 *ἁδέα χαίταν*. Hae enim formae reliquiae priorum temporum videntur esse. In lingua Indorum quoque adiectiva in *-us* plerumque communia sunt: *tanus* msc. et fem., *tanu* ntr. cf. Whitney, gr. Ind. 344. Fortasse huius usus in quibusdam verbis et figuris, quae versui optime se accommodabant, singulae reliquiae in sermone poetarum servatae sunt. Neque fortuito videtur factum esse, quod *-υς* positio pro feminino genere non invenitur nisi ante nomina, quibus positio feminina est: *ἡδὺς ἀϋτμή* etc. Ea vero adiectiva, quae sunt in *-ος*, etiam apud Atticos saepe communia esse inter omnes constat.

feminina usurpatam esse ut negemus, nonnullis causis commovemur.

Atque primum quidem nonnullae voces ut *Ἁλίαρτος, Πύλος, Ὄγχηστος, Ὀρχομενός* etiam post Homerum in genere masculino ponuntur, nonnullas a principio masculine dictas esse e notione quoque et origine vocis discimus. *Ἁλίαρτος* enim nomen (cf. Meister. diall. Gr. I, 252) verisimile est ortum esse ex *Ἀρίαρτος*, 'valde coniunctus' scil. *πύργος*, qua de causa genus masculinum suum locum habet: *B* 503. Xen. Hell. III, 5, 17. Strab. I, 16. VII, 298. IX, 407. 410; raro per analogiam femininum adhibetur: Diod. Sic. 14, 81. Nonn. 13, 73. *Ὀρχομενός* masculine dicitur Hes. frg. 148 (82). Thuc. 3, 87. 4, 76. 5, 61, 62. Strab. VIII, 338. 347. 374. IX, 407—424. Plin. n. h. 4, 8, 15; raro femininum genus usurpatur: Thuc. I, 113; incertum schol. I, 381 *ἐς Ὀρχομενὸν κτλ. Ὀρχομενὸν δὲ τὴν* (scil. *πόλιν*?) *τῆς Βοιωτίας φησὶν, ὃν* (!) *Μινύαι κατῴκησαν κτλ.* Quae exempla docent, nihil impedire, quominus etiam apud Homerum illa nomina masculine usurpari dicamus. Quo accedit quod illa adiectiva desinentia in *-οϝεντ-, -ηϝεντ-* inde a vetustissimis temporibus tres exhibent positiones [1]), qui status etiam in lingua Indorum invenitur.

1) Praeter eos, quos ex Homeri carminibus attulimus locos, quattuor a viris doctis comparantur, ubi ea adiectiva communia videntur esse: Aesch. Ag. 539 (561) *δρόσοι τιθέντες*; Orph. Arg. 263 *ὑλήεντι κολώνῃ*; Nic. ther. 129 *ψολόεντος ἐχίδνης*, 329 *καταψηχθέντος ἀκάνθης*. Plurimum quod offendamus est in loco Aeschyleo, nam quod Hermannus dicit indulsisse sibi talia poetas vel metri vel suavioris soni causa, hoc non videtur concedendum esse. Neque enim ullum praeter hoc exemplum apud Atticos adhuc inventum est, ubi participia in *-εις* communia essent. Audacter Keckius hunc locum mutavit, Hermannum malim sequi qui dicit 'hic *ὄμβροι* animo poetae est observatum', nisi forte hoc loco latet vestigium generis masculini, quod Hes. frg. XVI (197) *αἱμάτιος δρόσος* nescio an firmetur, quanquam de hac re iudicare audacius est, cum locus Hesiodeus corruptus sit.

Multo aliter quae exempla e Nicandro et Orphicis hausta sunt declarantur. Recte enim Hermannus ad Orph. Arg. 263 dicit 'deinde ea aetas, quae iam ad interitum vergebat, obtusum venustatis sensum illecebris quibusdam excitare studens ad insolentiam et raritatem confugiebat. Unde

Atque in lingua Graeca semper generi feminino debetur forma *-όεσσα, -ήεσσα* praeter ea nomina geographica, quae falso feminina haberi contendimus. Nonne multum offensionis habet, quod illa adiectiva ante septem nomina oppidorum tantum in positione masculina pro feminina adhiberi dicuntur, cum ante alia nomina saepissime forma feminina usurpetur? Praeterea Stephanus Byz., qui de Epidauro dicit *μετὰ ἀρσενικοῦ ἐπιθέτου θηλυκόν ἐστιν*, aliter de Haliarto iudicat: *ἀρσενικῶς· Ὅμηρος 'ποιήενθ' Ἁλίαρτον'*. Cuius rei fortasse ea fuit causa, quod recentioribus temporibus *Ἐπίδαυρος* vox vulgo feminine dicebatur, *Ἁλίαρτος* in masculino genere manserat; Homeri temporibus illa nomina omnia masculina erant.

Non alia est ratio adiectivorum in *-ος*: *Πύλος Νηλήιος, Ορχομενὸς Μινύειος, ἀφνειὸς Κόρινθος,* quae alibi trium sunt positionum. Quanquam de his iudicium non tam certum est, cum si non haec ipsa adiectiva attamen similia (*ἄγριος ἄτη* *T* 88, *δεινὸς ἀήτη* *O* 626, *ἀσπάστος γῆ* *ψ* 233) communia esse possint. Tamen etiam iis locis genus masculinum intellegendum esse ut censeamus nescio an commoveamur iis, quae Wirthius (cf. p. 2) exposuit de usu eorum adiectivorum, quae modo duarum modo trium positionum erant.

Unde licet concludere illa nomina geographica, ubi adiectiva masculinae positionis cum iis coniunguntur, masculine dici ibique usum priscorum temporum conservatum esse. Ac verisimile est ea nomina genus masculinum praecipue servasse

pariter et novam et vetustate oblitteratam dictionem sectabatur'. Cum autem usum priscorum recentiores imitarentur, constat per analogiam saepenumero falsas formas ab iis esse procreatas. Itaque non dubium est, quin illa verba *ψολόεντος ἐχίδνης, ὑλήεντι κολώνῃ* ex Homeri verbis *ἀμπελόεντ' Ἐπίδαυρον* etc. imitando effecta sint, cum recentioribus temporibus *Ἐπίδαυρος* et alia nomina feminine dicerentur et adiectiva *ὑλήεις, ἀμπελόεις*, alia falso communia haberentur; cf. schol. Nic. ther. 329 *τὸ δὲ καταψηχθέντος ἀντὶ τοῦ καταψηχθείσης· κέχρηται δὲ τούτῳ τῷ σχήματι πολλάκις*, cf. schol. Nic. ther. 129. Etiam quod est apud Apoll. Rh. II, 941 *ὑλήεντα Κύτωρον* falsa quadam analogia effectum est, cum alia nomina urbium apud Homerum ita usurparentur, nam Cytorum Eust. ad *B* 853 notat in genere feminino esse ponendam.

in usitatis quibusdam verbis et figuris, quae versui optime se accommodarent. Neque vero id argumentum nostram sententiam refutat, quod eadem nomina et alia eiusdem originis nonnunquam etiam feminine dicuntur: *ὑλήεσσα Ζάκυνθος* ι 24. h. Hom. Ap. 429. *Πύλῳ ἠγαθέῃ* Α 252 alia. His locis per analogiam genus grammaticum mutatum est, neque enim ignoramus in Homeri carminibus priorum et recentiorum temporum formas mixtas esse.

Iam vero restat, ut ex singulis ordinibus, in quos nomina oppidorum secundae declinationis dividere placet, nonnulla certa exempla afferamus.

1. Nomina appellativa de insulis et oppidis usurpata.

a) Nihil offendimus in iis vocibus, quae et appellativae et propriae in genere feminino ponuntur.

Ἀμαξιτός, ἡ Steph. B. Strab. XIII, 604 sq. Xen. Thuc. ἡ *ἁμαξιτός*.

Ἐρυθρὴ βῶλος (Aegypti) Hdt. II, 111. ἡ *βῶλος*.

Κιβωτός, ἡ cognomen Apameae; (Phrygiae) Strab. XII, 569. ἡ *κιβωτός*. ὁ *Κιβωτός*, portus manu factus Strab. XVII, 795.

Λήκυθος, ἡ Thuc. IV, 113 sq. ἡ *λήκυθος*.

Λῆνος, ἡ (Elidis) Steph. B. ἡ (raro ὁ) *ληνός*.

Πλάτανος, ἡ, *Πλατάνη*, ἡ Steph. B. Pol. V, 68, 6. ἡ *πλάτανος*.

Haec exempla, quae multa sunt, congestare operae non pretium est.

b) Nomina appellativa masculina ad oppida transferuntur genere per analogiam mutato.

Ἶπνος, ἣν *Ἰπνέαν τινές*, Steph. B.; *οἱ Ἰπνοί* Hdt. VII, 118. ὁ *ἰπνός* caminus.

Καῦνος, ἡ (Cariae) Hdt. I, 176. V, 103. — ὁ *καυνός*; ὁ *Καῦνος* Hes. filius Asterii.

Κέραμος, ἡ (Cariae) Paus. VI, 13, 3. ὁ *κέραμος*.

Κισσός, ἡ (Macedoniae) Strab. VII, 330 frg. 21, sec. Arcadium 76, 13 *Κίσσος*. ὁ *κισσός*, hedera; *Κισσός* nomen virile, nomen montis.

Μάραθος, ἡ (Syriae) Strab. XVI, 753, ὁ *μάραθος* feniculum. ὁ *Μάραθος* (Phocidis) Strab. IX, 423; filius Apollinis.

Ὄλυνθος, ἡ Thuc. IV, 123 etc. ὁ *Ὄλυνθος*, filius Heraclis; ὁ *ὄλυνθος* grossus.

Τάφος, ἡ, insula, schol. Ap. Rh. I, 747. ὁ *τάφος* sepulcrum.

Τόπαζος, ἡ, insula, ubi ὁ *τόπαζος* primo inveniebatur. Plin. VI, 169.

Φελλός, ἡ (Lyciae) Plut. soll. an. 23. Ptol. V, 3, 6 ὁ *φελλός*; ὁ *Φέλλος*, vir, mons Italiae.

c) Nomina appellativa masculini generis propria fiunt genere non mutato.

Ἐρινεός, ὁ, principio locum significat (Ζ 433. Λ 167. Χ 145), quem Strabo XIII, 598 ita describit: *ὅ τε ἐρινεὸς τραχύς τις τόπος καὶ ἐρινεώδης*; deinde genere servato de oppidis usurpatur, neque solum ei, quod prope Troiam situm erat, sed etiam in Doride (Thuc. VII, 34. Paus. VII, 22, 10) et in Achaia portui hoc nomen inditum est. ἡ *Ἐρινεός* Strab. X, 476.

Καταβαθμός, ὁ Strab. XVII, 825. Ptol. *Κ*. ὁ *μικρός*. CIG. 2554, 135. ὁ *καταβαθμός*.

Κόμαρος, ὁ portus Epiri Strab. VII, 324. ὁ, ἡ *κόμαρος*, arbutum.

Παράδεισος, ὁ (Syriae) Strab. XVI, 756. ὁ *παράδεισος*.

Πορθμός, ὁ portus Eretriae, Strab. VI, 257. ὁ *πορθμός*.

Πύργος, ὁ nomen complurium castellorum, cui interdum genetivus nominis viri additur.

Ῥοῦς, ὁ (Megaridis) Plut. Thes. 27. ὁ *ῥοῦς* fluxus.

Σκίρος, ὁ, colonia Arcadiae. Steph. B. *λέγεται καὶ ὁ Σκῖρος καὶ τὸ Σκίριον*; ὁ *σκῖρος*.

Σκῶλος, ὁ (Boeotiae) Steph. B. *ἀρσενικῶς*. ὁ *σκῶλος*. Ath. III, 73.

Φάκος, ὁ, *Φακός*, arx Pellae. Pol. XXXI, 25, 2; ὁ *φάκος*.

Praeterea nonnulla nomina sunt, quae quanquam genus non significatur, tamen masculina esse putandum est, cum vel portum vel castellum declarent. Strab. XVII, 838 *λιμὴν Πλῦ-*

νος, alibi *Πλυνός*, cf. *ὁ πλυνός*; Strab. IX, 409. 423 *Μυχὸς λιμήν*, cf. *ὁ μυχός*; Thuc. V, 49 *Φύρκος*, castellum Elidis, cf. *ὁ φύρκος*, vox Dorica: murus Hes.

2. Alia nomina oppidorum, quae masculini generis sunt.

Ἄμβρακος, castellum Epiri Pol. V, 61.

Ἀμνισός, Cnossi portus Strab. X, 476 (*τ* 188?)

Ἐτεωνός (Boeotiae), postea *Σκάρφη* nominatus. *B* 497 c. schol. Str. VII, 298. IX, 408. 409.

Εὐρύηλος, castellum prope Syracusas situm. Thuc. VI, 97. VII, 2. 43.

Κάνωβος Strab. XVII, 800, *Κάνωπος* Et. M. Genus masc. etiam a scriptoribus Latinis usurpatur: Verg. Georg. IV, 287. Ov. Met. XV, 828. Lucan. VIII, 542 etc., de insula (Mel. II, 7, 6) genus femin. invenitur.

Κρῶμνος, castellum Arcadiae. Xen. Hell. VII, 4, 21. *ἡ Κρώμνη*. Ath. X, 452 B.

Λέπρεος Ar. av. 149 c. schol., alibi *τὸ Λέπρεον*.

Ὄγχησμος (*λιμήν*), Epiri Strab. VII, 324.

Ὀγχηστός, Boeotiae *B* 506. Ap. Rh. III, 1241. Strab. IX, 412 (*ὁ Ὀ.* flumen, heros).

Ὄλουρος, castellum Achaiae Xen. Hell. VII, 4, 18.

Πάνελος, ad Pontum situs est. Steph. B. *ἀρσενικῶς*. cf. Herodian I, 160.

Πάνορμος, nomen complurium portuum; *πάνορμος τόπος λιμήν*, locus ubi facile navis ad terram appellitur. Apud Diod. Sic. omnibus locis genus masculinum invenitur praeter XXIII, 18. XXIV, 1 *ἡ Π.* Recentioribus temporibus hanc vocem saepius feminine dictam esse nescio an inde eluceat, quod schol. ad Thuc. II, 92 *τὸν Πάνορμον* annotat *σημείωσαι ὁ Πάνορμος*. cf. Poppo ad schol. II, 92 p. 442.

Τάραντος (*Δάρανδος*), Bithyniae. Steph. B.

Qui factum sit, ut haec nomina masculinum genus servarent, pro certo dici non potest. Nonnulla enim ut *Κάνωβος* non originis Graecae sunt, alia quod portum aut castellum

significant, analogiam oppidorum videntur evitavisse et genus masculinum diutius obtinuisse. Praeterea suffixa quaedam, quominus genus femininum usu reciperetur, impedivisse verisimile est. Ea enim appellativa, quae sunt in *-μος*, nunquam fere in genere feminino ponuntur, quod nescio an aliquanti fuerit momenti, ut *Ὄγχησμος*, *Πορθμός*, *Καταβαθμός* alia semper in genere masculino dicerentur.

3. Nomina oppidorum, quae in utroque genere dicuntur.

Multa nomina, quae diversis traduntur formis, etiam genus variare non mirabimur, si modo nobis persuaserimus genus grammaticum congruere cum terminatione, itaque in universum quidem nominibus primae declinationis genus femininum, secundae masculinum aut neutrum attribuendum esse. Quod autem saepe in oppidorum nominibus, quae sunt in *-ος*, genus fluctuare invenitur, huius quoque rei ex analogia causam quaerere licebit. Nec solum in diversis dialectis vel apud diversos scriptores invenitur hoc vel illud genus, quin etiam apud eundem scriptorem utrumque genus promiscue usui est. Quae inconstantia veteres grammaticos non fugit. In scholiis enim et apud grammaticos saepe invenitur *θηλυκῶς καὶ ἀρσενικῶς λέγεται*, vel alterum genus praeferendum esse. Sufficiat pauca afferre testimonia:

Strab. IX, 433 *ὁ Ἅλος, ἢ ἡ Ἅλος· λέγεται γὰρ ἀμφοτέρως*. cf. Steph. B.

Steph. B. *Σηστός· λέγεται δὲ ἀρσενικῶς παρ' Ἐφόρῳ, οἱ δ' Ἀθηναῖοι 'ἐν τῇ Σηστῷ' φασιν*. cf. Eust. ad Dion. Perieg. 513.

Haec inconstantia explicari non posse mihi videtur, nisi censemus genus masculinum a principio in iis nominibus usui fuisse et diutius servatum esse, quam in ceteris, quae nobis nisi in genere feminino non tradita sunt. Cum autem nomina oppidorum pleraque feminina facta essent, pauca genus masculinum retinuissent, inconstantia facta est, ut haec quoque interdum per analogiam in feminino genere ponerentur. Neque vero id nobis offensioni est, quod nonnullorum genus mascu-

linum apud recentiorem invenitur scriptorem, apud vetustiorem femininum, ut ἡ Ὠρεός Thuc. VIII, 95, ὁ Strab. X, 445, neque enim quidquam impedit ne censeamus hoc oppidum Thucydidis quoque aetate masculine enuntiatum esse, historicum autem suo arbitrio genus femininum usurpavisse.

Iam vero quae in utroque genere inveniuntur nomina proferamus:

Ἀκροκόρινθος, ὁ Xen. Hell. IV, 4, 4. Pol. II, 43, 4. Steph. B. etc.; ἡ de vico Ἐπώπη.

Ἁλίαρτος, ὁ, ἡ cf. p. 48.

Ἅλος, ὁ, ἡ cf. p. 53. ἡ CIG. 5594, I. II.

Ἐπίδαυρος, ὁ B 561; ἡ Thuc. IV, 56 etc. CIG. 1167.

Κόρινθος, ἡ, praeter paucos locos: B 570 ἀφνειόν τε Κόρινθον; Pind. qui alibi genere feminino utitur, in frg. 122 (87), 2 ἐν ἀφνειῷ Κορίνθῳ, quod Hermannus et Boeckhius in ἀφνειᾷ emendaverunt; Hdt. V, 92 in oraculo ὀφρυόεντα Κόρινθον, Strab. VIII, 378 ἀφνειὸς Κόρινθος et 380 in fragmento poetico. Dion. H. IV, 29. Semel in titulo Latino CIL 541 *Corinto deleto* scriptum videmus, quod tamen a viris doctis in dubitationem vocatum est.

Λυχνιδός, ἡ Steph. B. s. Μιμνιδός, idem Λυχνιτός, ἀρσενικῶς λεγομένη.

Μάραθος et Ὀρχομενός supra allata sunt.

Πύλος, Steph. B. λέγεται θηλυκῶς καὶ ἀρσενικῶς. ὁ B 77. λ 682. Strab. VIII, 353. ἡ A 252. φ 108. Strab. VIII, 336—350. Thuc. IV, 39. Xen. Hell. VII, 4, 26. Paus. IV, 2, 5. VI, 22, 5.

Σηστός, cf. p. 53. schol. Thuc. I, 89. ἡ Thuc. I, 89. VIII, 102. 104. 107. Xen. Hell. I, 2, 13. Ages. 2, 16. Hdt. VII, 78. Strab. XIII, 591. ὁ Xen. Hell. IV, 8, 5. 6. Dem. 23, 158 sq. Ephor. ap. Steph. B.

Στράτος, vulgo Στρατός, Steph. B. θηλυκῶς καὶ ἀρσενικῶς. ὁ Pol. V, 14. Strab. X, 450; ἡ fortasse Thuc. II, 80?

Στύμφαλος. Herodian. I, 160 Στύμφαλος, πόλις Ἀρκαδίας καὶ πεδίον ὁμώνυμον καὶ πηγή. ἡ πόλις ἀρσενικῶς καὶ θηλυκῶς (cf. Steph. B.). ἡ Paus. VIII, 22, 2. 3. ὁ Strab. VIII, 389. Pol. IV, 86, 6.

Ταρτησσός (Hispaniae), ἡ vulgo, ὁ Hdt. I, 163.

Τρικόρυθος, Steph. B. οὐδετέρως Δίδυμος καὶ Διόδωρος, Διονύσιος ἀρσενικῶς, Εὐφορίων θηλυκῶς (Strab. VIII, 377. 383. IX, 399?).

Ὑηττός, Steph. B. λέγεται καὶ ἀρσενικῶς.

Φενεός, ὁ, ἡ Steph. B. ἡ Paus. VIII, 14.

Φύλλος, Steph. B. Στράβων (IX, 435 ὁ), Ῥιανὸς δὲ Φύλλον θηλυκῶς λέγει ἐν θ' Θεσσαλιακῶν; alia forma est Φυλλοῦς.

Ὤλενος, Steph. B. θυλυκῶς λεγομένη. Αἰσχύλος Καρσίν κτλ. Ἀπολλόδωρος δὲ ἀρσενικῶς αὐτήν φησιν ἐν τῇ η' τοῦ νεῶν καταλόγου.

Ὠρεός, ὁ Strab. X, 445. Xen. Hell. V, 4, 56 cf. Liv. XXXI, 46, 6. ἡ Thuc. VIII, 95. Paus. VII, 26, 4.

Ὠρωπός, ὁ Thuc. VIII, 60. 95 etc. interdum ἡ Steph. B. s. Τάναγρα. Paus. VII, 11, 4.

4. Nomina oppidorum, quae terminantur in -οι.

Quoad genus horum nominum cognosci potest, masculine dicuntur exceptis duobus vel tribus, de quibus infra disserendum erit. Inter nomina geographica permulta constat esse pluralia tantum, ut in lingua Graeca ita in Germanica (*Siebeneichen*, *Bergen*, *Hohenlinden*), et in Latina (*Rudiae*, *Vercellae*, *Corioli*, *Vei*). Saepe numerus pluralis facile ex notione intellegitur: Ἐννέα ὁδοί, οἱ Πύργοι, Δειράδες, οἱ Ὅλμοι, Γόννοι (cf. Curtius, etym.[5] 180). Ex etymologia Angermannus (de nom. loc. p. 21 sq. progr. Misn. 1883) horum quoque nominum pluralem numerum repetit: Ἄκραι, Θῆβαι, Θῆραι, Χηναί aliorum. Imprimis igitur videmus numerum pluralem quasi collective usurpari in iis nominibus, quibus regio et situs oppidi significatur. Cui usui comparari potest, quod Iuhl. in diss. de num. plur. usu Hom. Halis 1879 (p. 17 sq.) explicavit, nomina regionum et locorum ab Homero saepe in numero plurali poni: ἀκταί = litus, ὄχθαι = ripa, νῶτα θαλάσσης, alia. Simili modo οἱ Αἰγιαλοί interdum de ora et oppidis, quae ibi sita sunt, dicitur, οἱ Φωριαμοί urbs unde appellata sit docet Herodianus I, 171: εἰσὶ καὶ Φωριαμοί τόπος τῆς Ἤλιδος μεταξὺ

τοῦ ποταμοῦ καὶ Ἀρκαδίας, ἐπιτήδειος εἰς ἐνέδραν ἐν στενῷ κείμενος (Steph. B.), *Δελφοί*, quae vox primo in h. Hom. 27, 14. Hdt. I, 51 invenitur, constat significare 'fauces' cf. Curt. etym.[5] 479. Compluria oppidula et locus qui est Athenis nominantur *οἱ Κῆποι*, Paus. I, 19, 2. 27, 4. Aesch. III, 171 p. 78, 18. Strab. XI, 495, Harpocr.; *οἱ Βρόχοι* oppidum Coelesyriae (Pol. V, 46, 1) nomen ducit e voce *βροχός*.

Alia nomina in *-οι* a principio incolas significavisse verisimile est, a quibus oppido nomen impositum est, incolis vero interdum novum nomen inditum est. Itaque saepenumero urbs et incolae eadem forma dicuntur: *οἱ Λαμητῖνοι*, oppidum prope Crotonem ad *Λάμητος* flumen, *οἱ Πολλήσιοι* in Locride, *οἱ Δίφροι* in Phoenicia, *οἱ Σκάροι* in Lycia situm. Atque etiam in lingua Latina nomina *Vei*, *Corioli*, *Arpi*, *Delphi* primum et cives et urbem significaverunt (cf. Liv. V, 1, 1 Romani Veique in armis erant, Catull. 64, 392 cum Delphi ... ruentes acciperent, Iustin. 24, 7, 8 urbem suam Delphi permunivere), deinde ut cives ab oppidi nomine seiungerentur, novae formae ortae sunt: *Veientes*, *Coriolani*, *Arpini*, aliae.

In lingua Graeca quoque nomen civium et oppidi nonnunquam confundi intellegimus ex Hdt. I, 54 *Κροῖσος πέμψας ἐς Πυθὼ Δελφοὺς δωρέεται, πυθόμενος αὐτῶν τὸ πλῆθος.*

Quae nomina in lingua Latina terminantur in *-i*, a scriptoribus Graecis secundae ascribuntur declinationi: *Ἄφροι* = *Afri* Suid., *Βαῦλοι* = *Bauli* D. Cass., *Γάβιοι* = *Gabii* Strab. V, 237, *Τόμοι* = *Tomi* Steph. B., *Ποτίολοι* (*Ποτέολοι*) = *Puteoli* Strab. V, 243, *Οὐολσίνιοι, Οὐήϊοι* Strab. V, 226. Cum autem ea nomina hunc in modum orta sint, non miramur quod in genere masculino usurpantur, quin etiam nonnullae formae genus masculinum exhibent, quae in numero singulari feminine dici solent: *οἱ Χύτροι* (Hdt. VII, 176), Paus. IV, 35, 9. Lys. ap. Harpocr. p. 309, 5 Dind., sed *ἡ Χύτρος* Ptol. V, 14, 6, *οἱ Φωριαμοί*, sed *ἡ φωριαμός*.

De voce *Ἑκατόννησοι* ap. Strab. XIII, 618 nihil cognosci potest, apud Hdt. I, 151 invenimus *ἐν τῇσι Ἑκατὸν νήσοισι.* Praeterea nisi fallor *αἱ Τρίοδοι* Paus. VIII, 36, 8 et *αἱ Ἐννέα ὁδοί* Thuc. I, 100 solae in numero plurali feminine enuntiantur, fortasse quod propria notio vocum *νῆσος, ὁδός* in iis nondum obsolevit.

5. Terrarum nomina.

Primum appellativa proferenda sunt, quae pleraque revera adiectiva minus mobilia sunt et omissa voce *γῆ, χῶρα* terram significant: *ἡ ἀμφίῤῥυτος* Hdt. IV, 163. 164 ex oraculo; alibi *ἀμφίῤῥυτος* tres exhibet positiones (cf. Lob. paralip. de mot. adiect. § 7); *ἡ βάρβαρος*, scil. *γῆ, γλῶσσα, πόλις,* de terra Thuc. II, 97, 3; *ἡ ἔρημος* Hdt. IV, 18. 22. 123. Aesop. fab. 10 etc.; *ἡ εὔγειος* sc. *γῆ* Theophr. c. pl. 5, 13, 2; *ἡ ἔφαλος* sc. *γῆ* terra maritima Luc. amor. 7; *ἡ νειός, νεός,* novale *Κ* 353. *Σ* 547 etc. Xen. oec. 16, 10. 12. Theophr. c. pl. 4, 8, 3. 4, 5, 13; *ἡ παράλιος* et *ἡ παραλία* Pol. III, 39, 3; *ἡ πρόσοικος* terra finitima Plut. Fab. 2; *ἡ σπόριμος,* arvum Theophr. h. pl. 6, 5, 4; *ἡ συκοφόρος* Strab. IV, 178; *ἡ λιβανωτοφόρος* Strab. XVI, 774; *ἡ ὕπαιθρος,* planities Babr. 12, 13. Dion. H. ant. 8, 63. 9, 6. 14. Sext. Emp. p. 292; *ἡ ὑφήλιος,* tota terra Walz rhett. I, 524 Byz., interdum traditur *ἡ ὑφ' ἡλίῳ, ἡ ὑφ' ἥλιον*; *ἡ χέρσος* *Δ* 425. *ζ* 95, poetae trag., Pind. etc.

His nominibus, quae aliis locis vim adiectivorum servaverunt, addi possunt pauca, quorum originem licet in dubium vocare, quanquam sunt qui dicant ea ex adiectivis orta esse: *ἡ ἤπειρος,* inde ab Homero (*Β* 635. *ι* 49 etc.) saepissime invenitur, de etymologia certi quidquam non novimus (cf. Curt. etym.[5] 469); *ἡ νῆσος* *Β* 108. *α* 51 etc., hanc vocem a verbo *νέω* procreatam esse inter omnes fere viros doctos constat, de forma ipsa sub iudice lis est (cf. Curt. etym.[5] 319).

Eadem causa est, quod nomina propria, quamvis pauca, genus femininum acceperunt: *ἡ Αἴγυπτος, ἡ Ἤπειρος,* et quorum altera pars est *-νησος*: *ἡ Πελοπόννησος, Χερσόνησος,* alia.

Nonnulla vero, quibus proprie alia notio erat, genus masculinum servarunt:

Αἰγιαλός, ὁ *Β* 375. Paus. V, 1, 1.

Ἑλλήσποντος, ὁ proprie de freto dicitur, deinde de terra, quae ad Hellespontum sita est: CIG. 5127 A; sine generis nota Thuc. II, 9. Xen. Hell. I, 7, 2.

Ἰσθμός, ὁ, ex appellativo ὁ ἰσθμός, angustiae. Pindarum autem grammatici notant genus femininum usurpavisse, quod exstat isthm. I, 32 (45). nem. V, 37 (69). ol. VII, 81 (148). VIII, 48 (64) cf. Eust. 108, 22. Simon. in Anth. XIII, 19. In lingua Latina genus fem. Apul. Met. 1, 1 p. 6.

Πλατανιστός, ὁ (Ciliciae), Strab. XIV, 5. 669 *παράπλους τραχὺς, Πλατανιστὸς καλούμενος.*

Πόντος, ὁ non solum mare sed etiam terram ad Pontum sitam significat. Hdt. IV, 8 — VII, 147 saepe, Strab. Genus mascul. etiam apud scriptores Romanos invenimus Cic. l. Manil. 8, 21. 9, 22 pro Arch. 9, 21. Ovid. trist. V, 10, 1 etc. Priscianus vero ex Sallustii libris profert 18, 4, 41 p. 1130 'Bithyniam et Pontum consuli datam esse'.

Τάρταρος, ὁ Θ 13. 481. Theogn. 1036. ἡ Pind. pyth. I, 15. Nic. ther. 204 cf. p. 15.

Hoc loco si placet addemus nomina montium, fluviorum fontium, quae nonnunquam in genere feminino ponuntur.

6. Nomina montium, fluviorum, fontium.

De his nominibus in universum praecipitur, ut genus grammaticum cum forma congruat: ὁ *Αἴγυπτος* (Nilus flumen), ὁ *Ἄμαθος* (fluvius Strab. VIII, 344. 361 ἡ ἄμαθος, arena); ἡ *Ὄσσα*; ὁ *Ὄλυμπος*; ἡ *Ὁμόλη*, ὁ *Ὅμολος*. In tertia declinatione nomina montium et fluviorum pleraque masculina sunt[1]).

Attamen ex iis montium nominibus, quae ascribuntur secundae declinationi, nonnulla etiam feminine dicuntur, ubi ἄκρα vox subauditur, quae interdum nomini proprio additur. *Ἄμπελος* quidem quod genus femininum exhibet, ubi de promunturio dicitur, non miramur. Falso enim Papius hanc

1) Excipienda sunt: ἡ Ὄθρυς Hes. theog. 632. Strab. VIII, 357. IX, 432 sq. ἡ Πάρνης Paus. I, 32, 1. Steph. B. etiam ὁ Πάρνης dici tradit.

vocem in ea notione masculine dici profert. cf. Hdt. VII, 122. Strab. X, 488. XIV, 637.

Κώρυκος, promunturium cum oppido et portu in Cilicia situm. ὁ Strab. XIV, 671. Steph. B. ἡ Strab. XIV, 671. Steph. B. s. *Ἐλαιοῦσσα*, ubi in nonnullis codd. genus masc. legitur.

Πάχυνος, promunturium Siciliae ὁ, raro ἡ Strab. VI, 265 sq. Paraphr. ad Dion. Per. 468—470. *Πάχυνος ἄκρα* Ptol. III, 4, 8.

Πίνδος, ὁ vulgo; ἡ *Πίνδος ἄκρα* Soph. frg. 265 (p. 268 Dind.); ἡ Hdt. VII, 129. Strab. VII, 327. IX, 432. 434. 442.

Πλάκος, ἡ mons Mysiae, Ζ 396 = Χ 479. Hes. s. *ὑπὸ Πλάκῳ· ὑπὸ τῷ Πλάκῳ ὄρει Κιλικίας.* Strab. XIII, 614 negat hunc montem esse.

Ταίναρος, ἡ (et *Ταίναρον, τό*) orac. ap. Strab. VIII, 374. Plut. Phoc. 29. Orph. Arg. 1378; ἡ Pind. pyth. 4, 44. Suid. s. *ἀνεῖλεν*. Hes. s. ***Τέττιγος***. Cum hoc rariore usu comparari possunt duo Latinorum scriptorum loci: Luc. 9, 36. Appul. Met. I, 1 p. 67. Ibidem etiam *Hymettos Attica* traditur, cuius usus exemplum Graecum non praesto est.

Inter fontium nomina nonnulla in *-ος* feminina sunt, quae a principio adiectivi vim habebant: ἡ *Ἐννεάκρουνος*, Thuc. II, 15. Hdt. VI, 137; ἡ *Νήγρετος*, Luc. v. h. II, 33 fictum fontis nomen; ἡ *Ὑπέλαιος*, Strab. XIV, 634. 640. Creophyl. ap. Ath. VIII, 361 D.; ἡ *Φιλίππιος*, Paus. VIII, 7, 4. In quibus cum *πηγή* nomen subaudiretur, in aliis *λίμνη* vox ad genus constituendum valuit, quae e lingua Latina repetita sunt: ἡ *Βήνακος* sc. *λίμνη* = *lacus Benacus* Pol. 34, 10, 29; ἡ *Οὐερβανός* = *lacus Verbanus* Strab. IV, 209. Pol. 34, 10, 20; ἡ *Ἄορνος* scil. *λίμνη* = *lacus Avernus*, aut ὁ *Ἄορνος* scil. *κόλπος*, quae vox nonnullis locis additur. cf. Strab. I, 26. V, 244 sq.

IV. Nomina, quibus via significatur.

In his nominibus nonnulla sunt, quae omnibus temporibus a quovis genere scriptorum, in titulis omnium dialectorum feminine adhibentur, alia in utroque genere usui sunt, ubi genus masculinum prius videtur esse, nonnulla masculina sunt. Quae

nomina quomodo feminina facta sint pro certo dici non potest, nisi eorum sententiam accipimus, qui censent ex analogia obsoletae cuiusdam vocis in -α (-η) exeuntis, quae viam significaret ea nomina genus femininum recepisse. Quam sententiam ut acciperent viri docti commoti sunt, cum posterioribus temporibus per analogiam ὁδός vocis alia (οἶμος, τρίβος) genus immutavisse cognoscerent. Sed cum ea exempla non tam certa esse supra explicaverimus, haec interim in medio relinquemus. Itaque sufficiat singula nomina afferre.

ἡ ὁδός, cum multis compositis per totam Graecitatem vox usitatissima est. Composita vero haec fere sunt: ἄμφοδος, ἄνοδος, ἀντεπέξοδος, ἄφοδος (ion. ἄποδος), διέξοδος, δίοδος, εἴσοδος, ἔξοδος, ἐπείσοδος, ἐπέξοδος, ἐπιπάροδος, ἔφοδος, κάθοδος, μέθοδος, μεταπάροδος, μίξοδος Hes., νυκτιδιέξοδος, παρέξοδος, πάροδος, περίοδος [πέροδος Cauer. del.[2], 204, 15. 16 in titulo Delphis invento. Pind. nem. XI, 80. Cram. an. Ox. IV, 309, 20], προέξοδος, πρόοδος, πρόσοδος [dor. πόθοδος, Cauer. del.[2] 148 C. E. thessal. Cauer.[2] 399, 13. 409, 46 etc.], τετράοδος [orac. ap. Paus. VIII, 9, 2, aeque ac τετραοδία, ἡ τετραόδιον, τὸ dictum est], τρίοδος, ψευδέφοδος. Nonnulla horum nominum in genere masculino de hominibus dicuntur: ὁ ἔφοδος, qui vigilias circumit, Xen. Cyr. 8, 6, 16. Pol. VI, 36, 6. ὁ πάροδος, qui praeterit (= ὁ παροδίτης). CIG. 3273, 9 μᾶλλον δὲ κλαύσας, πάροδε, τὴν ἐμὴν τύχην, cf. CIG. 6512 ὁ περίοδος, qui vigilias circumit, apud recentt. Aen. Tact. 22 p. 62. 65. ὁ πρόοδος qui praeit, Xen. hipp. 4, 5. ὁ Πρόσοδος, nomen viri CIG. 1570, b. 31. 47. ὁ σύνοδος, socius itineris Anth. P. VII, 635. Hic usus exsistere potuit, cum ea composita adiectiva σύνοδος, ον haberentur.

Nunc veniamus ad cetera quae viam significant substantiva, in quibus nonnulla sunt, quibus prius vis adiectivi erat.

ἁμαξιτός, ἡ Herodian. I, 220, 21. ἁμαξιτός proprie adiectivum est, inde ab Homero (*X* 146) saepe omissa voce ὁδός usurpatur. Theocr. II, 76 μέσον κατ' ἁμαξιτόν, in cod. m. μέσην.

ἀτραπός, ἀτραπητός, ἀτραπιτός, ἡ sc. ὁδός. CIG. 380, 13. 1488. 2892. 3256. *ν* 195. *ξ* 1. *P* 743. Pind. Aristoph. Hdt. Herodian. I, 188, 22.

κέλευθος, ἡ Hom. etc.; apud poetas forma numeri plur. τὰ κέλευθα invenitur.

λεωφόρος, ἡ scil. ὁδός. Eur. Rhes. 881. Plat. legg. 6 p. 763 c. etc.

οἶμος, ὁ, ἡ cf. p. 17.

στενωπός, ἡ Herodian. I, 189, 11. ὁ angustiae Aesch. Prom. 364 (368). Thom. M. p. 205, 1 in nonnullis codd. τοὺς στενωπούς, in ceteris τάς.

στίβος, ὁ, ἡ? cf. p. 18.

σύνδρομος, ἡ sc. ὁδός, locus ubi complures viae coeunt. Strab. XV, 705.

σύντομος, ἡ sc. ὁδός, brevis via Hdt. V, 17.

τρίβος, ὁ, ἡ cf. p. 18.

Praeterea nonnulla nomina in -ος sunt, quae et ipsa viam significant, neque vero unquam in genere feminino usurpantur: ὁ οὐρός (*B* 153), ὁ ὀχετός; Hdt. III, 9 ὁ πάτος, *Y* 137, quae vox de stercore usurpata semel feminine dicitur; ὁ τριμμός Xen. cyn. 3, 7. 4, 3. 9. 5, 18. 6, 9; ὁ ὑπόνυμος Thuc. II, 76. Haec nomina nescio an ideo analogiam ὁδός vocis evitarint, quod et raro adhibebantur, et proprie paullo aliam habebant notionem.

V. Vasorum et cavarum rerum nomina.

Compluria nomina viri docti in unum ordinem composuerunt, quae vasa et cava significant. Quorum alia inde a priscis temporibus feminine usurpantur, alia promiscue, alia masculine dicuntur. In hoc quoque ordine videmus recentioribus temporibus per analogiam nomina masculina feminina facta esse, ut γωρυτός, λάγυνος, χηραμός, unde nescio an conici possit ea quoque nomina, quae iam priscis temporibus nobis in feminino genere tradantur, analogiam sequi vetustissimae vocis primae declinationis, cui eadem fuit notio.

a) Genus femininum usui est.

ἀσάμινθος, ἡ alveus *δ* 48. 128. *ρ* 87. *K* 576 etc.

ζωμάρυστρος, ἡ schol. Ar. Ach. 245.

κάπετος, ἡ fossa (Curt. etym.[5] 167) *O* 356. *Σ* 564. *Ω* 797. Soph. Ai. 1165. 1403. schol. *O* 356. *Ἀργεῖοι τὴν τάφρον κάπετον ὠνόμαζον.*

κάρδοπος, ἡ, Ar. nub. 675 sq. ran. 1170. Plat. Phaed. 99 B. Alciphr. 3, 28.

κατάρτιος, ἡ, vox recentioris Graecitatis = ἡ *καταρτία, τὸ κατάρτιον*. Et. M. 478, 23. Artemid. 2. 12. 3, 36, gramm.

κέδρος, ἡ Theocr. VII, 31, secundum scholiastam cistam cedrinam significat.

κιβωτός, ἡ schol. *Ω* 228, in titulis CIG. 88. 2139. add. 4235 b sine generis nota, 8807 *τῦς κιβωτοῦ*, quae Lazius correxit in *τῆς*, itacismi enim vestigia titulus non praebet.

λήκυθος, ἡ *ζ* 79. 215. Aristoph. ran. 1224. 1227 sq. av. 1589. eccl. 744. 996. 1032. plut. 810. CIG. 8498 (8337. 8346).

πείρινθος, ἡ, *πείρινθα*, ἡ; prior forma videtur esse ἡ *πείρινς, πείρινθος* *o* 131. *Ω* 190. 267, cuius genus ad *πείρινθος* vocem translatum est. Et. M. 489, 5. Ap. Rh. III, 873.

πρόχοος, ἡ, att. *πρόχους*, ἡ *προχοή* (Ap. Rh. I, 456) *α* 136. *δ* 52. *o* 135. *ρ* 91. *σ* 397 (*Ω* 304). Hes. theog. 785. Soph. Ant. 430. Eur. Ion. 435. CIG. 5641. Ath. XI, 468 B. XV, 685 D. Philox. frg. 1 (Bergk.). Ar. nub. 272 vulgo legebatur *χρυσέοις πρόχοισι*, nunc sec. Rav. genus fem. receptum est.

σορός, ἡ *Ψ* 91. Arist. lex. schol. *Ψ* 91 **ὅτι ἅπαξ ἡ σορός, ἀθετεῖται.* Hdt. I, 68. Ar. plut. 277. Ach. 691 (Lys. 600); saepe in titulis christianis CIG. 7017. 9281 etc.; de vetere homine: Ar. vesp. 1365 *ὡραίας σοροῦ.*

χηλός, ἡ *Π* 221. *φ* 51. *ν* 10. 68. *ϑ* 424. Theocr. XVI, 10 etc.

b) Ambigui generis sunt:

ἄκατος, ἡ Pind. pyth. XI, 39 (60). Eur. Or. 331 (342). Hec. 444 (446). Tr. 1090. Ar. equ. 762. Theophil. com. ap. Ath. XIII, 560 A; de poculo Theop. com. ap. Ath. XI, 501 F. Bekk. an. 371, 5. ὁ Hdt. VII, 186.

ἀλάβαστρος, ὁ, ἡ sive *ἀλάβαστος* (Harpocr. s. *ἀλαβαστοθῆκαι* p. 20 Dind.), Ar. Ach. 1053 (1017) ὁ *ἀλάβαστος*, pyxis,

alabastrum cf. Ar. Lys. 947; attice ἡ sec. schol. Plat. Hipp. Min. p. 334. Bekk. I, 206 *Ἀρσενικῶς δὲ τὸν ἀλάβαστρον εἶπεν Ἡρόδοτος.* cf. Phot. s. *λήκυθον*. Neque vero apud Herodotum (III, 20) genus cognosci potest, quanquam viri docti hunc locum sagaciter emendare studuerunt (cf. Steph. thes. I, 1386). Eust. p. 946, 53 inter mascul. et neutrum genus disiungit.

ἄρριχος, ὁ, attice ἡ cf. p. 12. ἡ Ar. av. 1309 c. schol. Theophr. h. pl. 1, 7, 2. Apud recentiores genus masc. usui fuisse docent praeter scholiastae notam Alciphr. ep. III, 15 Harpocr. ed. Dind. p. VIII *ἄρριχος· Ἀριστοφάνης γοῦν ἐν Ὄρνισι τὴν διαφορὰν τοῦ ἀρρίχου καὶ κοφίνου φησίν κτλ.*

γωρυτός, ὁ *φ* 54; apud recentt. genus fem. cf. p. 17.

θησαυρός, ὁ vulgatum, ἡ CIG. 8786 (saec. XIII).

θόλος, ἡ, postea etiam ὁ cf. Sext. Emp. adv. math. 1, 147; respiciendae sunt diversae notiones. ἡ *θόλος*: Hes. *οἶκος εἰς ὀξὺ ἀπολήγουσαν ἔχων τὴν στέγην.* Bekk. an. 264 *λέγεται δὲ θηλυκῶς ἡ θόλος.* Athenis enim locus ita appellabatur, ubi *οἱ πρυτάνεις καὶ ἡ βουλὴ συνειστιῶντο.* cf. Suid. Poll. VIII, 155. Andoc. I, 45 etc. Laconicum vero balneorum solet dici ὁ *θόλος*. Eratosth. ap. Ath. XI, 501 D. Alciphr. autem I, 23 *εἰς τὰς θόλους τῶν βαλανείων* (v. l. *τὰς θόλους ἢ τοὺς καμίνους*). ὁ *θόλος* praeterea vittam et lutum significat. CIG. add. 2885 c ὁ (Gerontae, brevi ante Christum natum).

κάμινος, ἡ, cui voci falso Papius genus masc. attribuit, cf. Hdt. IV, 164. Bekk. anecd. 266, 32 *ἴπνος ἡ κάμινος.* ὁ *κάμινος*: Niceph. Walz rhett. I, 477, 1 *ὅλους καμίνους*, quod de flammis dicitur. Alciphr. I, 23 v. l. *τὰς θόλους ἢ τοὺς καμίνους τῶν βαλανείων.*

κόγχος, ὁ et *κόγχη*, ἡ, qua forma fortasse commoti sunt, qui scripserunt ἡ *κόγχος* Paus. I, 44, 6. Pol. VI, 23, 5.

ληνός, ὁ Bekk. an. 51 etc. CIG. 1979. 1981 sq., raro ὁ Ath. XI, 474 F, ubi nonnullae editiones nescio quo auctore *τὴν ληνὸν* receperunt. *ληνοί*, pars inferior narium Poll. II, 80.

λάγυνος, *λάγηνος*, ὁ, ἡ cf. p. 15. 16.

λάπαθος, ὁ, *λάπαθον, τό.* Bekk. an. 374, 13 *παρὰ τὴν λάπαθον.*

μέδιμνος, ὁ Hdt. VII, 187 etc., ἡ Hdt. I, 192 sec. nonnullos libros mscr.

πύελος, ion. *πτύελος*, ἡ (in titulis recentioribus ἡ *πύαλος* CIG. 3777) Ar. equ. 1062. thesm. 562. Luc. Ael. v. h. 13, 3 etc. In Galeni scriptis semel *πυέλῳ μικρῷ* invenitur. CIG. 2050 *σὺν τῷ (π)υάλῳ*, aetatis Romanae; apud Hes. s. v. *σίαλος πτύελον* masculine adhiberi contendit Steph. thes. s. v.

στάμνος, ὁ, ἡ cf. p. 12. ὁ: Hippocr. p. 1234 B. Ar. plut. 545. Poll. X, 72; ἡ Hermipp. ap. Ath. I, 29 E. Ath. XI, 499 E. CIG. 8642 aetatis christianae.

τάφρος, ἡ *H* 450. *I* 349 etc., forma Ionica ἡ *τάφρη* Hdt. IV, 201 cf. Suid. s. *τάφρος*. Num ea forma ut *τάφρος* (dor. *τράφος* cf. tab. Heracl.) feminine enuntiaretur alicuius fuerit momenti, pro certo dici non potest. Neque tamen vestigia quamvis incerta generis masculini omnino possunt negari. Sane quidem in Callim. h. Del. 37 *βαθὺν ἤλαο τάφρον* parvi momenti est (cf. p. 47). Falso putant legi ὁ *τάφρος* apud Alcidam. 184, 23 (65 R), et secundum Stephani thesaurum et Papium *τὸν τάφρον* est Apollod. I, 8, 1, ubi editiones exhibent *τὴν τάφρον* neque varietatem librorum praebent. Diodor. in exc. Hoeschel. barbare scriptis p. 498, 69 *τάφρον μέγαν*. Afric. Cest. c. 75 p. 314 a F. *τοῦ τοιούτου τάφρου*, b, A. *τοῦ τάφρου*, b, B. *τοῦ τράφου* (ut hodie Graeci dicunt ὁ *τράφος*). Hes. *σιρούς· τάφρους ἐσκεπασμένους*. Phot. bibl. cod. 63, 22, 7 *τάφροις διεσκευασμένοις*, et complures loci, ubi codices vacillant, quos eosdem in Steph. thes. VII, 1891 invenies.

χηραμός, ὁ (*Φ* 495?) ἡ Ap. Rh. IV, 1452. cf. Iac. Ach. Tat. p. 523.

χοῦς, ὁ aqualis, raro ἡ Anaxandr. ap. Ath. IV, 131 B. Nic. ther. 103. cf. Eust. 1835, 10 sq. *οὐ μόνον ἀρσενικῶς ἀλλὰ καὶ θηλυκῶς*.

χύτρος, ὁ olla. Nic. frg. 72, 3. 6 (Schneid.) *χύτρον . . . τῇ ἔνι*, sive *τῇ* adverbium esse putabimus, sive ad *χύτρον* ita referemus, ut non huius sed synonymi *χύτρα* genus grammaticum sibi vindicaverit.

c) Generis masculini sunt:

ἔναυλος, *Φ* 312. *λέμβος*, Dem. 32, 6. 34, 10. *πίθος*, *β* 340. Hes. opp. 368 etc.

πλυνός, *X* 153. *ζ* 40. 86. *σάρπος*, Hes. *σιρός*, Dem. 8, 45. 10, 16.

VI. Nomina, quibus lapides et quae praeterea in terra inveniuntur vitae expertia, significantur.

Horum nominum ratio eadem est atque eorum, quae vasa et cava significant. Inde enim ab Homero sunt quae in genere feminino dicantur, alia cognoscimus postea genus femininum accipere, pauca in masculino perseverant.

Lapides universe appellantur his vocibus: *πέτρος*, *λᾶς* (saxum), *πέτρα* (rupes), *λίθος* (lapis), quod discrimen per totam fere Graecitatem observatur. De *λίθος* voce docent grammatici genus masculinum adhiberi, ubi magis universalis notio sit, femininum de gemmis: *λίθος ἐρυθρά, Λυδία, Παρία, Ἡρακλεία* etc. (cf. Theophr. de lapid.). Neque vero mansit, si omnino fuit hoc discrimen. In Homeri enim carminibus ὁ, ἡ *λίθος* sine ullo notionis discrimine usurpatur: *γ* 296 *μικρὸς δὲ λίθος*; *E* 308 *τρηχὺς λίθος*; *τ* 94 *στερεὴ λίθος*; *M* 287 *λίθοι θαμειαί*. schol. *M* 287 *σημειωτέον ὅτι τὰς λίθους θηλυκῶς* cf. Eust. 550, 13. 904, 56. Iacobsius ad Anth. P. 137 addit *πᾶσα λίθος* Theocr. VII, 26, *χἁ λίθος* Bion. frg. XI de quovis lapide dicta, idemque conicit in hac voce ut in quibusdam aliis genus femininum magis poetici fuisse usus. Gessnerus quoque ad Orph. lith. 355 demonstrat illud discrimen inter *τὴν λίθον* gemmam et *τὸν λίθον* lapidem vulgarem non fuisse perpetuum. Apud Sophoclem excepto frg. 886 *Λυδίαν λίθον* semper genus masculinum invenitur, quod apud Pindarum, Hesiodum, Aristophanem, Thucydidem saepissime usui est. Genus femininum ex Ionum consuetudine repetere dubito, praesertim cum apud Herodotum permulti exstent loci, quibus ὁ *λίθος* dicitur non solum de lapide vulgari (II, 86. 124. 125. 127. 134. 176), sed etiam de gemma: *σμαράγδου λίθου λάμποντος* II, 44. III, 8; *Παρίῳ λίθῳ* III, 57 cf. IV, 92. V, 62. VII,

69. 216. In titulis *ὁ λίϑος* saepe invenitur (cf. Cauer. del.² 62, 33. 69. 429 A, 47. 434, 36. 437, 52 etc.) *ἡ λίϑος* in titulis aetatis christianae CIG. 6857. 8809. 9535.

Itaque id certe tenendum est, *ἡ λίϑος* vocem sive de lapide vulgari sive de gemma omnibus temporibus cum in sermone pedestri tum apud poetas usui fuisse. *Πέτρα* nominis analogiam multum valuisse ad vocem *λίϑος* feminine enuntiandam cum propter notionis discrimen non verisimile sit, facile nobis persuadetur eam analogiam in voce *πέτρος* aliquanti fuisse momenti. *Ὁ πέτρος* enim semper dicitur a veteribus scriptoribus (*Π* 411. *Η* 270. *Υ* 288 sine generis nota) *Π* 374 *πέτρον μάρμαρον ὀκριόενϑ'*. schol. Eur. Or. 625 (614) *πέτροις· διὰ πέτρων· ἡ εὐϑεῖα ὁ πέτρος Ἀττικῶς*. cf. Eur. Or. 59. Apud recentiores vero poetas invenimus etiam *ἡ πέτρος* Anth. P. VII, 274. 429. 479. cf. Schaefer. Ap. Rh. t. II, 629. Iacobs. ad Anth. P. 327, et observ. critt. in Anth. Gr. p. 26 (Monach. 1812). Quam dubius fuerit Galenus de genere horum nominum, supra (p. 22) explicavimus.

Iam vero perlustremus singula nomina.

ἄμαϑος, ἄμμος, ψάμαϑος, ψάμμος ἡ *Ε* 387 c. schol. *Ι* 385 etc. Ammon. 15. Bachm. an. Gr. I, 78. 419; *ἄμαϑον* arenam quae sit in planitie, *ψάμαϑον* eam quae sit ad litus significare docent grammatici. cf. Lehrs, Aristarch. p. 123.

οἱ ψάμμοι Paraphr. Il. XII, 31. Ael. h. a. 9, 63. 13, 3. 15, 12. Archimedes semper *ὁ ψάμμος* dicit. Rarior forma est *ἡ ψάμμη*, quae primo ab Herodoto IV, 181 adhibetur, qui alibi *ἡ ψάμμος* dicit.

ἄργιλος, ἡ (Steph. thes. Passow.), *ὁ* (Papius), *ἡ* Theophr. c. Pl. III, 20, 3. VI, 3, 2. Mnas. Anth. P. VII, 194, 2. *ὁ* ap. Anthyll. Matth. med. p. 148, 9.

ἄσβολος, ὁ, ἡ cf. p. 12.

ἄσφαλτος, ἡ Hdt. I, 179. VI, 119. *τὸ ἄσφαλτον*. Hippocr.

βάσανος, ἡ, apud Homerum nondum invenitur. Hdt. Soph. Pind.

βήρυλλος, ὁ Strab. XVI, 779. *ἡ* Tryphiod. 70. Dion. Per. 1012. Luc. v. h. 2, 11. Anth. P. IX, 544.

βῶλος, ἡ, raro *ὁ* cf. p. 12. 19.

γύψος, ἡ Plat. Phaed. 110 c. etc., *ὁ* incertum Theoph. Nonn. vol. I p. 314.

ἤλεκτρος, ὁ cf. p. 17 apud Homerum et Hesiodum sine generis nota.

κίβδος, ἡ = *κιβδηλίς* scoria Poll. VII, 99 a Bekkero pro *κίβδηλος* lectione accipitur.

κόπρος, ἡ, ὁ cf. p. 20.

κρύσταλλος, ὁ, ἡ; proprie *ὁ κρύσταλλος*, glacies Hdt. IV, 28. Plat. Plut. (Hom.) deinde de lapide (Dion. Per. p. 116), etiam in genere fem. Claud. Anth. P. IX, 753.

λιϑάργυρος, ἡ spuma argenti. Nic. alex. 594 (607) Diosc.

λύγδος, ἡ (Papius *ὁ*?) Anth. P. V, 28, 2. Diod. Sic. 2, 52 *λύγδος Παρία*.

μάρμαρος, ὁ, apud recentt. *ἡ* cf. p. 17.

μόλιβος, ὁ apud poetas posteriores *ἡ*; cf. p. 18.

πάτος, ὁ vulgo, *ἡ* schol. Nic. ther. 932; *ἀπόπατος*, vulgo *ὁ*; *ἡ* Gregor. Cor. p. 521 *εὐμαρέην δὲ τὴν ἀπόπατον*.

πηλός, ὁ; *τὴν πηλόν* docent adhiberi Phryn. p. 55, cf. Eust. p. 1504, 37. cf. p. 14.

πλίνϑος, ἡ Hdt. Aristoph. Cauer.² 62, 23 sq. Diosc. V, 103 *πλίνϑος μολύβδινος*.

σάπφειρος, ἡ Theophr. de lap. 8. 23. 37. Diosc. V, 157.

σίδηρος, ὁ vulgatum; *ἡ* Nic. ther. 923 c. schol.

σμάραγδος, ἡ; raro *ὁ* cf. p. 20.

σπίλος, ἡ = *ἡ σπιλάς* scopulus Ion. ap. Hes. *σπίλον Παρνασσίαν*. Arist. de mundo 3, 3 (p. 116). Lycophr. 188 et alii poetae posteriores.

σποδός, ὁ *ι* 375. Hdt. IV, 172; poetae tragici etc.

σπύραϑος, sive *πύραϑος*. *ὁ* Geop. XII, 14, 2. *ἡ* Diosc. Luc. trag. 160. schol. Nic. ther. 932.

τίτανος, ἡ; interdum genus masculinum usui esse tradit Suidas.

ὕαλος, ἡ Bekk. an. 392 cf. p. 13. Variae notiones sunt hae: 1. lapis perspicuus, 2. vitrum Plat. Tim. 21 B scaphium: Arist. nub. 768, 3. sec. Hes. aeque atque *ὁ βόρβορος* dicitur.

χοῦς, ὁ, raro ἡ terra congesta Strab. X, 458. XVI, 740. XII, 579 in nonnullis codd., Pol. III, 46, 6. Eust. p. 305, 43 *σύνηθες τῷ γεωγράφῳ οὕτω* (scil. ἡ *χοῦς*) *λέγειν, παρὰ δὲ ἑτέροις σπάνιον ἔστι θηλυκῶς τὴν λέξιν εὑρεῖν.* cf. p. 1390, 60. 1504, 38.

ψῆφος, ἡ; raro ὁ apud recentissimos scriptores cf. p. 21.

In masculino tantum genere ponuntur haec nomina: ὁ *κασσίτερος*, Hdt. III, 115. ὁ *κέραμος*, Ar. nub. 1126. Thuc. II, 4. IV, 48. *μόροχθος. μόροξος*, recentior vox, Diosc. Galen. *πεσσός* (α 107?) Poll. IX, 97. *σκῖρος, σκίῤῥος*, Hippocr. etc. *τύντλος*, Hes. Phot. *τόπαζος*, Orph. Lith. 278. Dion. Per. p. 1121. *φέψαλος*, Ar. Ach. 279. (Ach. 668?). His addenda sunt nonnulla quae et ipsa apud recentiores demum inveniuntur: *χαλκοβήρυλλος, χαλκοσμάραγδος, χρυσόλιθος, χρυσόπρασος, ψευδοχρυσόλιθος, ψίμυθος*, quorum alia in alio genere ponuntur.

In lingua Latina (Neue I, 626. Kuehner, gr. Lat. I, 166) genus grammaticum videtur pendere ex positione, itaque plurima in *-us* masculina sunt, nonnulla scriptores, Graecorum usum imitati, in feminino genere usurpant.

VII. Singularia quaedam vocabula.

Iam vero restat, ut nonnulla nomina afferamus, quae iis, quos constituimus, ordinibus attribui non possunt. In his quoque nonnulla adiectiva sunt, quae tamen, cum eam vim prorsus amiserint, in hoc ordine enumerantur.

ἄκολος, ἡ, ρ 222 etc., ὁ v. l. in Iosephi de bell. Iud. 5, 3 § 3. Curtius, etym.[5] 668 *ἄκ-ολο-ς*, itaque fortasse formatio adiectivi est?

ἀλφάβητος, ὁ, ἡ apud recentiores demum scriptores invenitur.

ἄτρακτος, ὁ Aesch. frg. 129 etc.; Plut. Mor. 271 *τὴν ἄτρακτον*, cf. Constant. Adm. imp. p. 83 B *τῆς ἀτράκτου.*

βάρβιτος, ἡ (cf. *λύρα*) schol. Theocr. XVI, 45. schol. Ar. equ. 519 (522), Anacreont. 23, 3 etc. ὁ Pind. ap. Ath. XIV, 635 D. Ath. IV, 182 F. Ps.-Simon. epigr. 184, 10. Anacreont. 14, 34.

Herodianus I, 220, 21 hunc usum probat. cf. Bergk. ad Anacreontea 23, 3. — *τὸ βάρβιτον* Ath. IV, 175 E.

γνάθος, ἡ Hom. ep. XIV, 13. Hdt. IX, 83, poetae tragici etc. Cum vero poetae etiam formam ὁ *γναθμός* usurparent, generum perturbatio exstitit, ita ut ἡ *γναθμός* diceretur frg. adesp. 101 (Bergk. lyr. III, 721), ubi iniuria Geelius pro *γναθμῶν ἐκ πολιᾶν* scripsit *γνάθων*, et ὁ *γνάθος* Et. M. 155, 21. schol. Ar. Lys. 445. Theod. Prodr. Boisson. Anecd. I, 429.

δέλτος, ἡ Hdt. VIII, 135. Batrach. 3. Cauer. del.[2] 148. H. 29. 472, 16.

δοκός, ἡ; τ 38 etc., raro ὁ cf. p. 20.

δρόσος, ἡ, apud Homerum nondum invenitur. Pind. pyth. V, 133. isthm. VI. (V) 94. Num in Aesch. Ag. 539 (561) *δρόσοι τιθέντες* et Hes. frg. 16 (197) *αἱμάτιος δρόσος* (sec. Casaub. in Suet. II p. 101 coniecturam *δρόσῳ αἱματόεντι*) vestigia prioris usus lateant, in medio relinquendum est. cf. ann. p. 48.

ἶπος, ὁ muscipula. Pind. ol. IV, 11 de Aetna monte dicit *ἶπος ἀνεμόεσσα*, quod nescio an ex Pindari consuetudine repetamus, quem genus fem. masculino saepenumero praetulisse non ignoramus.

κέρκος, ἡ, cauda bestiarum. Ar. Ach. 787. Plat. Phaedr. 254 D. Aristot. de partt. anim. 2, 14. — Eadem qua ἡ *πόσθη* significatione usurpatur Ar. thesm. 289, de bestia vitibus obnoxia ap. Hesychium, de ansa ap. Luc. lexiph. 7.

λέκιθος, ἡ ovi luteum, ὁ cibus. cf. p. 11.

λιμός, ὁ; ἡ primum in dialecto Dorica, deinde in sermone pedestri recentioris aetatis. cf. p. 13.

μήρινθος, σμήρινθος, ἡ, filum, nervus Ψ 854. 869. Ar. thesm. 928 (935). Plat. legg. 1 p. 644 E. In Orph. Arg. 599 *μήρινθα* accusativus invenitur.

νόσος, νοῦσος, ἡ Α 10. Ν 667. 670 etc., per totam Graecitatem usui est.

ξύλοχος, ἡ Λ 415 = Φ 573. Anth. P. VII, 445. ὁ Anacr. 29, 5. Tryphiod. 198.

ὀιστός, ὁ Hom.; att. *οἰστός*, ὁ; Zenon ap. Aristot. phys. 6, 9 ἡ; ἡ *Οἰστός* nomen navis Atticae. cf. Boeckh. urk. p. 90.

πῖλος, ὁ, duobus locis ἡ Theophr. h. pl. 4, 8, 7 sq.

ῥινός, ἡ *Η* 248. χ 278. Hes. scut. 152. Eur. Rhes. 78. Ap. Rh. II, 58. IV, 174. Nic. ther. 361; ὁ Nic. ther. 464. 476. Opp. cyn. 3, 277. *τὸ ῥινόν* *Κ* 155. ε 281. Anth. P. IX, 328, 4. Eust. p. 1926, 54 *ὅρα δὲ ὅτι θηλυκῶς τε καὶ ἀρσενικῶς λέγεται ῥινός κατὰ τὰ ἀντίγραφα.* cf. p. 679, 45.

ῥοῖζος, ὁ; ἡ ι 315 cf. p. 13.

ῥοῦς, ὁ, non solum de arbore sed etiam de morbo a Galeno in utroque genere promiscue usurpatur.

τάμισος, ἡ vox Dorica (= ἡ *πυτία*) Theocr. VII, 16. XI, 66. — ὁ Nic. ther. 711. Hippocr. p. 667, 36 *τάμισον ὄνειον.*

τήβεννος, ἡ, et *τήβεννα* toga Diod. Polyb. Dion. H.

χάλκανθος, ὁ, ἡ, *χαλκάνθη*, ἡ, *χάλκανθον, τό*, tres formas usurpari posse docet Galenus vol. XIII p. 429. 496.

χνοῦς, ὁ vulgatum, *τὴν χνοῦν* Euripidem dixisse tradit Bachm. an. I, 418, 24.

ψίαθος, ἡ cf. p. 21.

VIII. Adiectiva, quibus substantiva supponenda sunt.

Iterum iterumque in singulis ordinibus substantivorum monuimus molem femininorum secundae declinationis permagnum comprehendere numerum adiectivorum communium [1]), eamque potissimum causam fuisse, cur tanta oreretur multitudo eorum femininorum. Atque etiam in singulis, quos constituimus, ordinibus multa iam allata sunt, quae propter originem hoc loco conferenda erant. Neque vero ea ibi omittere voluimus ne in hac parte singulos repetere ordines cogeremus. Praeterea saepe utrum substantivi ad adiectivi vis prior fuerit, cognosci vix potest. In lingua enim Graeca et Latina duo substantiva solent ita coniungi, ut alterum adiectivi vim accipiat: *tiro*

1) De origine adiectivorum minus mobilium hoc loco disserere longum est. Hoc posteriori dissertationi reservandum est. De compositis, quae pleraque minus mobilia sunt, Lobeckius in paralipomenis, de adiectivis, quae sunt in *-αιος*, *-ειος*, *-ιμος* Wirthius in dissertatione Lipsiensi (1880) diligenter et accurate scripserunt.

exercitus, *τέκτονες ἄνδρες* *Ζ* 315, *Ἑλλάδα γλῶσσαν* Hdt. IV, 78. Ex hoc usu sunt qui putent omnia adiectiva minus mobilia orta esse, cum proprie substantiva secundae declinationis fuerint. Quod quanquam satis multis exemplis nondum demonstratum est, tamen non sine aliqua specie veri dicitur. Rursus constat multa substantiva proprie adiectiva fuisse. Consuetum enim est Graecis substantivo adiungere epitheton ab eodem nomine compositum: *γῆ βαθύγεως* Hdt. IV, 23; *γῆ εὔγειος* Cram. an. I, 152, 7; *γῆ λεπτόγεως* Geop. III, 1, 19. Deinde spreto quo olim nitebantur substantivo ipsa per se consistebant: ἡ *μεσόγεως, πανσέληνος* (sc. *σελήνη*), *παράθυρος, δεκάπληγος, τετράβιβλος, ἑτεόκριθος.* Quod cum accidisset aliis quoque nominibus, quae saepe usurpabantur, permulta adiectiva cum mobilia tum communia vim substantivi assecuta sunt: ἡ *ἁμαξήλατος* scil. *ὁδός*, ἡ *σύγκλητος* (scil. *βουλή*), quibus quae sit notio e contextu verborum facile intellegitur.

Restat ut hoc loco afferam ex ingenti fere multitudine singula nomina, quae a scriptoribus priorum temporum solent usurpari, permulta enim sunt, quorum substantivum recentissimis demum temporibus omittitur, alia quae a posterioribus formata sunt: ἡ *ἑπτάλογος, ἑξάβιβλος, πανάρετος, πεντάτευχος*, alia.

γλῶσσα, φωνή, voces subaudiuntur: ἡ *διάλεκτος*, colloquium, aetate Alexandrinorum etiam de lingua dicitur; ἡ *δίφθογγος* (*τὸ δίφθογγον*).

γραμμή: ἡ *ἀπόστροφος*, gramm., Platonius in prol. ad Aristoph. XIII, 44 (Pares. ed.) partem parabaseos (*τὴν*) *ἀπόστροφον* nominat; *κάθετος* Poll. VII, 160; *κόλουροι*; *παράγραφος* alia.

ἐκκλησία: ἡ *σύγκλητος*. Arist. pol. 3, 1, 7. ἡ σ. scil. *βουλή* saepe in titulis. ἡ *ἀντισύγκλητος* Plut. Sull. 8. Mar. 35. ἡ *ἐπίκλητος* Hdt. VII, 8. VIII, 101. IX, 42.

ἐσθής: ἡ *εὐπάρυφος* Nicostr. ap. Ath. VI, 230 D. ἡ *πλατύσημος* Herodian. III, 11, 3. ἡ *στενόσημος, δίμιτος*, alia.

θύρα: ἡ *ἐναύλιος* Plut. mor. 1098 C., ἡ *μεσαύλιος, μέσσαυλος* (Hom. sine generis nota), ἡ *παράθυρος* Plut. mor. 617 A

(gloss. ἡ παραθύρα). ἡ φωταγωγός Luc. Hipp. 7. dom. 6. conv. 20. Suid. I, 372.

μηχανή: ἡ περίακτος, χαμουλκός Poll. VII, 191.

ναῦς, τριήρης: ἡ κατάφρακτος Thuc. I, 10. τριακοντόριος Boeckh. seeurk. p. 74. πεντηκόντερος, πάραλος (παραλία), ἐπίπλους (Pol. I, 27, 5. 50, 6), αἱ πρόπλοι Isocr. p. 59 D. Xen. Hell. V, 1, 27. Thuc. VI, 44. ἡ Πρόπλους nomen navis Atticae CIG.

ᾠδή: ἐπῳδός, μεσῳδός, προῳδός, alia; ἱμαῖος Call. frg. 42. Tryph. ap. Ath. XIV, 618 D. ἐπιμύλιος, καλλίνικος Eur. Herc. f. 180. 680 (ὁ καλλίνικος scil. ὕμνος).

ὥρα, ἡμέρα, ἀρχή: θέρειος (ἡ θερεία), τετρήμερος Arist. pol. III, 10 (15), 4. δίμηνος Cauer. del.[2] 199, 5. ἕκμηνος (scil. ἀρχή) Pol. 3, 37. 6, 2. 6, 34 (ὁ scil. χρόνος). ἑξάμηνος Cauer.[2] 198, 4. 268, 5. Hdt. IV, 25 (ὁ scil. χρόνος). ἑπτάμηνος Plut. mor. 907 E. πετράμεινος Cauer.[2] 295, 15. τρίμηνος Hdt. II, 124 (τὸ τρίμηνον) etc.

σελήνη vel *ὥρα*: πανσέληνος Hdt. II, 47. VI, 106. 120. Soph. OR. 1090. Ar. Ach. 84. Aesch. Sept. 395. Plut. mor. 367 E. διχόμηνος Choerob. in Bekk. an. p. 1126.

ἡ σύγγραφος et ἡ συγγραφή in titulis promiscue usurpantur.

Index nominum femininorum quae sunt in -ος praeter urbium et terrarum nomina.

Addenda:

p. 64 *φωριαμός*, (ὁ?), ἡ cf. p. 19.
p. 67 *ὄνθος*, ὁ, ἡ cf. p. 18.

VITA.

Natus sum Augustus Robertus Lange anno huius saeculi LIX. Tauchae patre Augusto, qui mihi puero septem annorum morte ereptus est, matre Rosina e gente Rebentisch. Fidei addictus sum evangelicae.

Rudimentis litterarum in oppido patrio imbutus decimum quartum annum agens ad scholam Nicolaitanam Lipsiensem adductus sum.

Maturitatis testimonium adeptus anno h. s. LXXX. academiam Lipsiensem adii, ubi per novem semestria philologicis studiis deditus scholis interfui vv. dd. Bahderi, Brugmanni, Curtii, Ecksteinii, Heinzii, Hildebrandi, Langii, Lipsii, Masii, Ribbeckii, Springeri, Struempellii, Zarnckii.

Proseminarii philologorum per quattuor semestria, per sex menses societatum Lipsianae et Hirzelianae et seminarii paedagogici Ecksteinii fui sodalis. Inde a tertio semestri usque ad nonum seminarii Germanici, quod moderantur Zarnckius et Bahderus, socius extraordinarius fui. Societatem grammaticam Curtii et seminarium Germanicum sodalium ordinariorum Zarnckii adhuc frequento.

Quibus viris doctissimis cum omnibus tum Brugmanno, Curtio, Zarnckio, optime de me meritis, summas habeo et semper habebo gratias.
